R. P.

HIERONYMI LAGOMARSINII

S. J.

LITERARUM

AD

CHRISTOPHORUM VARSAVIENSEM

EXEMPLUM,

Quibus judicium fertur de aliquot
Locis Operis inſcripti

Noctium Sarmaticarum Vigiliæ,

cur

Et typis Brunsbergenſibus, & Varſavienſibus anno 1751. editi

Editio ſecunda poſt Polonicam.

HIERONYMUS LAGOMARSINIUS
CHRISTOPHORO
SUO S. D.

VEllem, aut tu minus multa proximis ad me litteris complexus esses, aut mihi plus otii ac facultatis ad rescribendum suppeteret. Nunc scito, tam multis me tum studiorum meorum occupationibus, tum animi, in hoc olim Ciceroniano, nunc nostro Tusculano, remissionibus teneri, ut ad omnia epistolae tuae capita respondere hoc quidem tempore non possim. Habe nunc ad ea duo vel tria, quae prima posuisti. Reliquis, cum primum potero, satisfaciam.

Quod Varsaviam salvus & incolumis perveneris, primum tibi tuisq;, tum mihi etiã gratulor. Neq; vero, ex quo a nobis discessisti,

ſiſti, ut id fieret,umquam Deum rogare deſtiti. Ac libenter quidem tibi itineris illius comes fuiſſem,quod iſtinc ſecundo Viſtulae amne nuper Dantiſcum feciſti, Sed tamen valde delectatus ſum deſcriptione illius tua, atq; ita, ut mihi tua legenti viderer tecum tam crebras illas inſulas, & conſitas arboribus ripas praeternavigare. Pernobilem eſſe fluvium ſciebam, tam vero amoenum eſſe neſciebam.

Varſaviae autem ubi conſtitiſti, te tui ſimilem praebuiſti,immo & mei, uterq; enim alieni à contentionibus ſumus. Sinamus, qui, quae vera ſunt, ſibi perſvaderi nolunt, eos in ſuo errore nulla noſtra culpa verſari. Sed profecto multa ſomnia in illas *Sarmaticarum noctium vigilias* irrepſiſſe cum lepide, tum vere commemoras. Miror autem,dubitare te utrum inter ſomnia illud etiam, quod de Gaſpare Dragonetto in Vigilia *de pöeſeos & pöetarum ſtudio* pag: 30. traditur, referre debeas. Quidni referas? Nempe movet te, quod eamdem rem à tam multis iſtius in Sarmatia vigilatoris collegis dici ſcribiq;hic etiam in Italia animadverteris, & quod Florentiâ iter habens hominis imaginem coloribus expreſſam in eorum aedibus videris cum illa inſcriptione:

ne:

ne: *Ven: P. Gaspar Dragonettus Cler: Reg: Schol: Piar: P. Emmanuelis Alvari Soc: Jesu olim praeceptor.* Quid putas hisce à te in Italia auditis, lectis, visis aliud confici, nisi in Italia etiam, non modo in Sarmatia, vigilantes aliquando somniare? Somnium est (mihi crede) utrumq; & Alvari praeceptorem fuisse Dragonettum,& eumdem Clericum Regularem Scholarum Piarum fuisse.

Ac de primo quidem, consule historicos omnes, quos esse multos non ignoras, qui Alvari hominis non modo doctissimi, sed etiam sanctissimi, res gestas memoriae ac litteris prodiderunt. Neminem unum reperies, qui non affirmet, eum in Maderae insula anno 1526. natum ibiq; ingenue ac liberaliter educatum atq; institutum, inde in Lusitaniam ineundae Societatis Jesu causâ anno 1546. venisse; nec umquam postea è Lusitania quoad vixit (vixit autē ad annum à Christo nato 1583.) pedem extulisse. Jam de Dragonetto consule scriptores,qui de eo egerunt, ad unum omnes. Nemo non tibi eum, aut in Sicilia, aut in Italia semper vixisse, affirmabit.

Qui igitur Alvari praeceptorem fuisse Dragonettum credere nos volunt, prohibere

 non

non possunt, quo minus etiam illud credamus, Dragonetti ipsius vocem ac praeceptiones, navi in aliquo sive Siciliae sive Italiae portu conscensa, impigre atq; celeriter in Maderam aut in Lusitaniam navigasse, ibiq;, Alvaro convento, familiariter cum eo atq; apud eum tamdiu vixisse; quoad illum in grammaticis satis eruditum, ac Rhetoricis jam maturum animadvertentes, petita abeundi atq; impetrata venia, satis liberali viatico instructas, ex Madera sive ex Lusitania solventes, in Siciliam sive in Italiam remenso mari revertisse; & Dragonetto de Alvaro, deq; mirifico ejus in grammaticis profectu omnia diligentissime renuntiantes, non modo plurimam salutem optimo praeceptori gratissimi ac memoris discipuli nomine, sed & octo aureos nummos, quos Lisboninos vocant, pro totidem orationis partibus tam sedulo atq; amanter cum illo communicatis, & aliquot praeterea cercopithecos, simiolos, & psittacos mercedis ac muneris loco attulisse. Habes primum *Sarmaticarum*, atq; etiam Italicarum *Vigiliarum* de Dragonetto, Alvari praeceptore, somnium.

At, non esse id somnium, Petrus de Valle, ab isto Sarmatico nocturno vigilatore

cita-

citatus, *postrema suae historiae pagina* testificatur.

Si ejusmodi rei Petrus de Valle testis est, illum etiam per me licebit inter vigilantes somniatores referas. nisi si in praeceptiones Dragonetti illas, maria ultro citroq; transmittentes, incidisse se in aliqua suarū illarum navigationum, quas in eadem historia commemorat, forte testatur. Tunc enim historico credere etiam de praeceptore deberemus.

Recognosce jam mecum Petri de Valle testimonium illud ipsum, quod tibi negotium facessit. Videbis, non unum somnium, sed duplex (utrumq; videlicet, quod supra proposui) manifesto à nobis teneri. Describam historici Italica ipsa verba tibi, Italicam lingvam nihilominus, quam Latinam callenti: * *Li* 27. *Luglio* (anno 1626.) *essendo la festa di S. Pantaleo nella Chiesa delli Padri delle Scuole Pie, andai a vedere in dette Scuole, dove vive sin dell'anno* 1600, *NON RELIGIOSO, MA IN COMPAGNIA DI QUEI RELIGIOSI, il P. Gaspero Dragonnetti* (Ecce tibi alte-

 rum

* 27. *Julii Anno* 1626. *Sacram aedem PP. Scholarum Piarum festo S. Pantaleonis ingressus invisendum mihi putavi in Scholis eorundem P. Gasparem Dragonettu, qui in ijs ab anno* 1600. *sedem fixerat aetatemq; vivebat, non Religiosus sed eorū Religiosorū contubernio utens.*

rum è duobus somnium de Gaspare scilicet Dragonetto *Clerico Regulari Scholarum Piarum*, à Petro de Valle paucis quidem, sed disertis verbis discussum: *Non religioso*, inquit *ma in compagnia*, hoc est in convictu ac contubernio, *di quei Religiosi*. Appellationem autem illam *Patris* scito tribui solitam illa tempestate, quin & aetate hac etiam nostra non uno Europae, ac potissimum Italiae, loco, iis etiam Sacerdotibus, qui nulli certo hominum, quos Regulares vocant, coetui addicti, magisterio aliquo, praesertim sacro, commendarentur: neq; aliter aut Joannem Abulensem in Hispania, aut Philippum Nerium in ipsa urbe Roma, Dragonetti aequales, & aeq; libero ac soluto sacerdotii genere, atq; illum fungentes, vulgo appellari consveviſse. Sed reliqua de Dragonetto *non Religioso, sed illorum Religiosorum contubernali* (ab historico nostro audiamus) * *il quale con essere di età di cento quindeci anni, e più .... egli è contuttociò sano e robusto, e non solo vede senza occhiali, ed hà li denti, ma si afattica ogni giorno insegnando Grammatica a' figliuoli, che vanno à quelle Scuole. la qual professione mi raccontò di haver' fatta publicamente più di settanta anni, e prima che cominciassero*

à

a farla in Roma i Gesuiti .... e prima ch' egli leggesse Grammatica in Roma, l' haveva anche letta più anni in Sicilia nella Città di Lenoni (fort. *Lentini*) *dov' egli era nato, se bene di Padre forestiere, che da Calabria, non sò perchè, s' era ivi ritirato .... La Grammatica, che egli haveva letta sempre, e che legge ancora a' suoi scolari, è quella del Nebrissense, la quale approva per la migliore di tutte ..... Si chiama suo Scolare Emanuele Alvaro, e così molti altri Grammatici moderni.*

Postrema haec tibi non verba, sed fulmen, profecto fuerunt. Quid haeres? quid stupes? quid frontem feris? Nihil videlicet minus sperabas, quam hanc clausulam totius narrationis futuram: & incipis jam

 for-

* *Qui cum 115. annis major sit .... nihilominus optima fruitur valetudine, conspiciliis non utitur, dentatusque est, imo continenter laborat in tradendis Grammaticae praeceptis, Juventuti in eum ludum convolanti. Hoc ille munus Praeceptoris publice egisse ajebat plus quam 70. annis etiam cum Romae nondum Jesuitae docere caepissent .... Et antequam Grammaticae praecepta traderet Romae pluribus annis eadem tradiderat apud Leontinos populares suos ad quos se pater ejus advena Calaber nescio quam ob Causam receperat .... Grammatica, quam solitus est semper praelegere discipulis, quam etiam nunc explicat Nebrissensis est, illamque caeteris anteponit. .... Residuum autem Italicarum vocum: Si chima &c. V. Auctoris interpretationem in transversa charta.*

fortasse de meo potius aliquo, quam de aliorum somniis vereri. Ego vero vigilo, & non somniare me, sentio. Tibi quoque vigilandum est, ne forte tibi somnus obrepat, & aliorum insomniis ludâre. Itera dum eadem illa verba mihi: *Si chiama suo scholare Emmanuele Alvaro, e così molti altri Grammatici moderni*. Redde modo latine haec ipsa Polonis tuis, & vero meis (nam valde eos eorum merito amavi semper,) italice nescientibus. Non potes una eadèmq; interpretatione id facere. duplicem enim intellectum habere illa possunt. Primus est: *Se appellat ejus* (Dragonetti) *discipulum Emmanuel Alvarus: idemq; multi alii Grammatici recentiores faciunt*. Alter intellectus est: *Suum ipse* (Dragonettus) *discipulum appellat Emmanuelem Alvarum, itemq; multos alios Grammaticos recentiores*.

Dices, admodum haec esse inter se diversa, & minime oportuisse, tam ambigua obscuraq; oratione Italum historicum esse usū.

Quid faciam? An mea culpa est, si ille non ea, qua oportuit, oratione est usus, aut ego hoc suscepi, ut Petri de Valle sermonis elegantiam ac perspicuitatem defenderem? Nempe, hominem ita loquutum esse, feren-

dum

dum eſt; ac tantummodo, ipſe quid in animo habuerit, cum ita loquutus eſt, inquirendum. Utrum igitur putas voluiſſe eum dicere? primum, an ſecundum? Primum certe noluit. Nam, quum illa ſcriberet anno 1626. hoc eſt annis omnino tribus & quadraginta poſt Alvari obitum, quumq; Alvarus nullo ſuorum ſcriptorum loco diſcipulum ſe Dragonetti appellarit, minime potuit hiſtoricus de Alvaro, neq; vivente, neq; tale quidquam in ſuis ſcriptis prodente, verbum illud praeſentis temporis *appellat* uſurpare. Reſtat, ut voluerit illud ſecundum dicere: *Dragonettus ipſe ſuum diſcipulum appellat Emmanuelem Alvarum &c.* Hoc certe ille voluit.

At ego quid potero hic dicere? Immo vero, tu, quaeſo, quid diceres? Fortaſſe, qui ſuperiora illa noſtra certiſſima ac firma de Dragonetto, numquam in Maderam aut in Luſitaniam navigante, deq; Alvaro, numquam in Siciliam aut in Italiam delato, probe memineris ac mordicus teneas, non dubitares aut Dragonettum, qui ſuum diſcipulum Alvarum fuiſſe dixiſſet, aut Petrū de Valle, qui Dragonettum id ipſum dixiſſe diceret, mendacem appellare.

Sed, ohe, bona verba, mi Polonule. Ego

certe

certe melius de utroq; & sentiam & loquar; neq; in quemquam eorum, præsertim in Dragonettum, hominem e Sacerdotum collegio, cadere mendacium potuisse umquam existimabo. Quid ergo est? Potuitne ille, qui Alvari præceptor numquam fuit, suum discipulum Alvarum sine mendacio appellare? Potuit. An tu tam rigidus ac severus es, ut hominem centum & quindecim annos natum, loqui more senum, & sibi aliquid de se gloriantem tribuere non sinas? An oblitus es Catonis illud, sibi idem concedi postulantis apud Ciceronem in libello de senectute cap: 82. *Ut de me aliquid, more senum, glorier.* Si homo ea ætate, adolescentulum forte aliquem *filium suum* appellasset, non ferendum putares? Ego vero, si in illam tam longævam ac singularē hominis senectutem adolescentia mea incidisset, verendum illum ac venerandum senem non modo patrem meum, sed, quo magis illi me darem magisq; gratificarer; avum etiam meum ac proavum, atq; adeo abavum, & atavum, & tritavum blandissime appellare non dubitassem. Habent hoc, qui longius ætate processerunt, ut patriam sibi quamdam potestatem in alienos etiam, atq; auctoritatem libenter adsciscant; & quia,

quia; annorum ratione ineunda, generare ſe potuiſſe plurimos vident, eoſdem ſe etiam genuiſſe ſibi quodammodo perſvadeant, minimumq; inter faciendi facultatem, & factum remq; ipſam putent intereſſe. Eſt id non hominum vitium, ſed ætatis: ferendum propterea, nec ferendum modo, ſed illi etiam à junioribus non gravate ſerviendum: ne ætas illa, tam multis aliis incommodis ac detrimentis affecta, non hac, ſi non dignitate atq; præſtantia, at dignitatis atq; præſtantiæ opinione paſcatur ac ſuſtentetur. Par eſt in ſenibus, qui modo aliquando, publice præſertim, docuerint, excellentis cujuſdam doctrinæ, propriæ, atq; iis, qui poſt docere cœperunt, deſperandæ, opinio, & impotens quædam Doctoris appellationis ambitio atq; uſurpatio. Magiſterium non facultate, ſed docendi tempore definiunt. Qui prior docere cœpit, is continuo reliquorum magiſter eſt, quicumq; poſt illum docere inſtituerunt. Exemplo ſuo commotos juniores ad docendum putant, & ſi non artes ipſas, quas docent, à ſe doctos, at earum tradendarum viam atq; rationem à ſe eos didiciſſe arbitrantur: eaq; opinione in ſinu ipſi ſuo mirifice gaudent, & ſeneſcentes quodammodo

modo juvenescunt, aut certe juveniliter sibi gratulantur & gestiunt. Hoc quoq; ætatis est: hoc item ferendum: in hoc etiam, si æqui esse volumus, imbecillæ ætati, & aliarum tam multarum oblectationũ experti, obsecundandum.

Noli igitur vetulo meo, tam vegeto præsertim, tam laborioso, tam festivo, tam amabili, non lusciosо, non edentulo, non moroso, non odioso, Dragonetto succensere. Noli senem in sua illa senili gloriatione mendacem appellare. Sine, eum more senum usitato atq; concesso sentire, & loqui. Annos amplius septuaginta Grammaticam Romæ, aliquot præterea jam ante in patria sua Leontii docuerat. Nondum erat Jesuitarum nomen usquam auditum, nondum Alvarus de scribenda ulla arte grammatica cogitarat; vix Vossius vix Bonciarius, aliiq;, qui de eadem arte deinde scripserunt, adoleverant, cum jam ille meus magnam ætatis partem in Aelii Antonii Nebrissensis, Hispani hominis, & si qæris, grammatici non indocti, institutionibus publice prælegendis posuerat (Quanquam non eo verbo fortasse sum usus, quo decuit; qui enim tam longo annorum curriculo nihil aliud fecerat, nisi unius Nebrissensis

præ-

præcepta puerorum auribus dies noctesq; inculcarat, valde credibile est, paucis aliquot à suscepto magisterio transactis annis, non illum ea amplius *prælegisse* discipulis, sed animo penitus infixa memoriæq; mandata, sic ut excidere delériq; non possent, totidem verbis lectione non utentem in gymnasio reddidisse.)

Allata est anno deniq; millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Emmanuelis Alvari Institutio grammatica e Lusitania Romam, eaq; in Jesuitarum scholas haud ita multo post tota passim Italia, atq; alibi etiam, illata, tradiq; cœpta. Agebat tum Dragonettus ætatis annum circiter sexagesimum, magisterii autem sui Leontini atq; Romani fortasse tricesimum. Num censes, doctorem Gramaticæ artis, omnium Romæ antiquissimum, illo junioris hujus Grammatici in Italiam Romamq; ipsam tamquam adventu quidquam commotum, aut docere Grammaticam destitisse, aut aliquid de veteri sua docendi ratione immutasse? Ille vero, qui annos suos roburq; nosset, & à nemine docendi usu atq; exercitatione superari posse intelligebat, perrexit porro, suarū rerū securus, alienarū minime satagens, Nebrissensis præcepta puerulis in gymnasio tamquā in

regno

regno quodam ſuo, unde dejici ac deturbari non poſſet, magna voce ac bonis lateribus, non ſecus atq; ante, tradere. Illud etiam crediderim (neq; enim abhorret hoc à calidi ac rabioſuli ſenis, & pluſculum fortaſſe, quam pateretur veritas, ſibi arrogantis, junioribus detrahentis, natura ac conſvetudine) quum ex eo quidam aliquando, non tam cognoſcendi, quam, ut fit, tentandi laceſſendiq; ſtudio, quæſiſſent, quid tandem de Alvaro quodam, cujus grammatica inſtitutio in urbem nuper eſſet advecta, atq; à quibuſdam valde celebrari diceretur, ipſe ſentiret, mirantem ac prope ſtomachantem reſpondiſſe, Niſi librum videret, ſe de eo judicare non poſſe: quumq; ei exemplar unum eſſet oblatum, ſumſiſſe in manus, aperuiſſe, *Emmanuelis* nomen in fronte legiſſe, præterea nihil; libellum clauſiſſe, reddidiſſe, reddentem illud modo verborum addidiſſe, quod, niſi ſi qui forte acutiores aderant, nemo intelligeret: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?*

Aliæ interea aliorum, præter Alvarum; grammaticæ inſtitutiones conſequentibus deinceps temporibus in lucem veniebant; & quo plures annorum decades noſtri ſenis ætati accedebant, eo magis in dies Gram-

maticorum turba incredibilis augebatur; qua, tamquam torrente quodam rapido, atq; immenſis vorticibus redundante;miſer ac nihil tale meritus abripiendus abſorbenduſq; omnibus videbatur. Unus nihil ſibi neq; ab hominum quoquam, neq; ab ulla humanarum rerum timebat: unus omnibus reſiſtebat: unus adverſa omnia invicto animi corporiſq; robore ſuperabat. quo ſenior fiebat,eo conſtantior atq; alacrior in inſtituto docendi ſuo perſeverabat, eo minus Nebriſſenſem ſuum è manibus atq; adeo è ſinu ſibi eripi patiebatur.

Jamq; ad annum reparatæ hominum ſalutis milleſimum ſexcenteſimum viceſimum ſextum, Dragonetti autem ætatis ſextum & decimum ſupra centeſimum, magiſterii vero, tamquam pontificatus maximi, aut tribunitiæ poteſtatis, prope nonageſimum perventum erat. Hoc autem tam diuturnæ hominis vitæ intervallo, plurimas ajunt mortalium ætates alias aliis deficientibus inſtauratas ſucceſſiſſe; regnorum atq; imperiorum converſiones ac viciſſitudines multas ac memorabiles contigiſſe; cœli ipſius ingentes fornices, atq; ipſum torquentes utrimq; cardines vetuſtate detritos labanteſq;, niſi Gregorius XIII. Pont. Max. ante

aliquot annos mathematicorum ſummis ingeniis ac multa aſſiduaq; opera ſubveniſſet; loco ſuo dimotos horrificam labem ac ruinam fuiſſe facturos.

Quid noſter? fracto pæne orbe ac collabente interritus, viventium vivaciſſimus, mundo propemodum ſeneſcente non ſenex, nec de finienda vita, nec de magiſterio dimittendo cogitabat: cum Petrus de Valle, civis Romanus, ex diuturna orbis terrarũ peregrinatione in patriam reverſus, cognito, Dragonettum, quem ex urbe ante tot annos profectus capularem ſenem, & ſenio ſi non confectum, at certe quamprimum tum ſua tum omnium opinione conficiendum, reliquerat, ſupereſſe adhuc, nullumq; neq; vivendi neq; Grammaticam docendi finem facere, vehementer rei novitate perculſus, ſtatuit, miraculum ejuſmodi eſſe tum Romæ, cui nullũ par aut ſecundum in illis ſuis tot annorũ peregrinationibus vidiſſet, audiſſet, minimeq; ſibi ſempiterni hominis, & omnium Grammaticorum deceſſoris, videndi atq; alloquendi opportunitatem, ſi quidquam moræ interponeret, amittendam exiſtimavit. Itaq; VII. Kalendas Auguſtas ejuſdem anni 1626. ad ædes, ubi ille confectus ſenectute adhuc vi-

vere

vere dicebatur, ſummo, ut opinor, mane convolavit.

Hominem non viventem modo, ſed valentem, ſed vegetum, ſed florentem, hilarem, feſtivum, comem, & vivere & diu vivere, & Grammaticam, quoad viveret, docere cogitantem, reperit. Plurima ab eo de priſcis hominibus, deq; antiquiſſimis rebus, quæ patrum, avorum, proavorumq; memoria contigerant, ab eo, qui cum illis familiariter vixerat, quæſivit atq; cognovit. De grammatica hominis profeſſione, de Alvaro, cujus tum erat magnum inter Grammaticos nomen, de reliquis, qui tam multa eadem deinceps grammatica præcepta ſeu voce, ſeu ſcripto tradiderant, percontatus eſt.

Heic ſenex, profeſſionis ſuæ tempus ab ævo immemorabili repetens, cum alia multa, quæ ipſum Petrum paullo ante ex Dragonetti ſermone narrantem audîſti, tum de Alvaro cunctiſq; junioribus illis grammaticæ artis magiſtris, quibus & ætate & docendi inſtitutione tanto intervallo antecedebat, feſtive ac propemodum ſuo jure reſpondit; Habere enimvero ſe Alvarum, ac reliquos univerſos barbatulos doctores illos diſcipulorum ſuorum numero ac loco; quibus, ad docendum tanto poſt ſe tempo-

re aggressis docendi ipse viam ac rationem veluti dux quidam cæterorum atq; auctor commonstrâsset.

Hæc fuit Dragonetti cum Petro de Valle congressus & colloquii fere clausula. Quid in ejusmodi affirmatione à communi senum & pædagogorum sensu ac loquendi consvetudine abhorret? An non prope similiter summus ille Dragonetti ac singularis auctor Nobrissensis & senserat & loquutus jam ante fuerat? Is enim non eos solum, quos ipse docuisset, sed & illos præterea, si qui ab his docti deinceps fuissent, discipulos esse suos ducebat, atq; ita appellabat. An tu versiculos illos numquam legisti, quibus *Artem* ipse suam cum primũ ederet, affatus est?

„ O mihi per multos caste nutrita labores,
„ Ars mea, quã genui, tempus in omne vale:
„ Tempus in omne vale: neq; enim tuus addere quicquam,
„ Sed neq; quod genitor demere possit, habet...
„ Ito bonis avibus. tamen impartire salute
„ Multa, discipuli sint ubicumq; mei,
„ Sive ego quos docui, vel si quis doctus ab illis.
„ Nam licet, & fas est dicere utrosq; meos.

Ali-

Aliquanto fortaſſe longius noſter progreſſus eſt: neq; tamen à quadam recepta loquendi conſvetudine valde receſſit. Non eos ſolum, quos ipſe docuiſſet, ſed eos etiam, quos per ætatem docere potuiſſet, diſcipulos ſuos dixit.

Huic tu hominis orationi nondum acquieſcis? hac tu ſenis, minime malitioſi, perſvaſione adhuc offenderis? nondum ejus ſenſus faſtidioſiores illos quidem ac paullo arrogantiores, verumtamen uſitatos, atq; illi tum ætati tum profeſſioni penitus inſitos atq; ingeneratos, agnoſcis? nondum vetulo meo placari vis? pergis adhuc mendacium in ejuſmodi ejus dicto velle coarguere, & qui ea, quæ ſentiebat, nullo fallendi ſtudio loquutus eſt, *mendacem* appellare? Tu vero ne perrexeris, & ut ne pergas te etiam, ſi vis ac pateris, ſupplex oro. Per ego te igitur Nebriſſenſis manes, magnum optimi ſenis numen, per æviternam hominis ævitatem, per grammatici magiſterii, integro pæne ſæculo definiti, ærumnoſiſſimos illos ac plane horribiles labores, per quidquid eſt in nominibus ac pronominibus, in verbis, participiis, præpoſitionibus, adverbiis, interjectionibus, conjunctionibuſq; ſanctum, auguſtum, venerabile, oro

atq; obteſtor, ut Dragonetto meo reconcilieris, & longe ab eo mendacii crimen atq; adeo ſuſpicionem, in ſenili illa de Alvaro diſcipulo olim ſuo gloriatione, abeſſe confiteare.

Quod ſi jam iraſci, alicui,ac ſuccenſere vis, iis potius iraſcere atq; ſuccenſe, qui ſerio rem tam ridiculam, & de homine,qui ab Alvaro longiſſimis terrarum mariumq; ſpatiis ſejunctus perpetuo vixerit, fabellā plane commentitiam,vixq; anicularum,quæ vitam ad quintum decimum ſupra centeſimum annum & ipſæ propagarint, lucubratione dignam, narrant, ſcribunt,inſcribunt, excudunt, vigilant,ſomniant, crepant.Quaſi vero (etiamſi ex eorum cœtu Dragonettus fuiſſet, quem non Religioſum, ſed contubernalem modo illorum Religioſorum fuiſſe ex Petro de Valle cognoſti) magna aliqua atq; eximia hominis futura laus eſſet, ſi Grammatices elementa, Nebriſſenſe verba præeunte; puerulum docuiſſet eum, qui ſuopte deinde ingenio, ac ſtudio, atq; ut ajunt, Marte, magnus atq; eximius Grammaticus evaſiſſet; aut, ſiquidem magnis nominibus atq: auctoribus gloriandum eſſet, Gaſparem Dragonettum à mortuis excitari opporteret (virum illum quidem bonum,

ac

ac fortasse tantummodo bonum, nec illa certe *Venerabilis* appellatione, qua passim à nonnullis,qui suum, immo vero quia suum, collegam ducunt,non publica eorum, quorũ est ea cognitio atq;judicium,sed privata ipsorum auctoritate, publice afficitur, dignandum; verumtamen,quod ad doctrinam doctrinæq; celebritatem pertinet, hominẽ ex imis Grammaticorum subselliis, ac ne Grammaticum quidem, sed Grammatistam, qui non à se conditam artem ullam grammaticam, sed alienam, eamq; minime perfectam atq; absolutam, sed intelligentium judicio plurimis locis ineptam atq; mendosam; quam tamen ipsam omnibus aliis non modo Emmanuelis Alvari, sed Guillhelmi Lilii, qua utebantur Angli, Joannis Despauterii, qua Galli, Gerardi Joannis Vossii, qua Batavi, Aldi Pii Manutii, Eligii Vergerii, Blasii Pici Fonticulani, Andrae Frusii, Jacobi Ledesmæ, Hannibalis Codreti, Eventii Pici Spoletini, Saturnii Lazaronei, Marci Antonii Bonciarii, aliorumq; pæne innumerabilium, quorum institutiones grammaticæ, tota passim Italia celebrabantur, anteferret, integro pæne sæculo sedens in schola prælegerit; hominem deniq; nulla alia re, nisi ætate, hoc est, cer-

 vorum

vorum & cornicum dote, memorandum;) ac non potius aliquis esset e viventibus vere doctus ac vera laude dignus, me etiam suffragante ac multum plaudente, ostentandus, ut Paulinus a S. Joseph, Joannes Joseph Cremona, Bernardus Guillhelminius, Alexander Politus, Albertus Papianus, Idelphonsus Tarditius, Aloysius Bongiocchius, atque is, quem ego, pace omnium dixerim, & graecæ latinaeque lingvae peritia, & philosophiae, omnisque antiquitatis scientia omnibus antepono, Edvardus Corsinius, vir mihi quidem, ne nescias, amicissimus, sed quem, etiam si inimicissimus esset, merito ejus singulari laudarem: quos omnes, cæterosque eorum similes, mihi penitus persvadeo, ejusmodi quorumdam suorum de homine, nec suo, & obscurissimo, somnium omnino respuere atq; aspernari.

At vero vester iste Sarmaticarum noctiũ Vigilator ut non respuit neq; aspernatur! immo vero ut captat! ut amplectitur! ut arcte tenet! ut venditat! operæ pretium est animadvertere, quo, quantoq; artificio usus, quam alte petito principio, qua verborum circuitione, quibus sententiarum ambagibus, sermonem de Alvaro ejusq; Grammatica institutione intulerit! tum pedetentim,

atq;

atq; aliud agere videri volens, vobis optimis Polonis meis, quos ille magis bonos viros, quam fortasse vultis, esse arbitratur, nihil suspicantibus, & orationis suæ, tamquam lethæo quodam rore inspersis atq; perfusis, defessis, oscitantibus, conniventibus, dormitantibus, somnium mirificum de Alvaro, Dragonetti discipulo Morpheus repentinus objecerit.

Et, quoniam à me petisti, ut aliquid etiã de stylo, quo mihi viderentur Vigiliæ istæ esse perscriptæ, tibi significarem, complectar simul utramq; rem, ut & locum illum de Alvaro, minime prætereundũ (est enim exquisito, ut dicebam, artificio elaboratus) partite tibi membratimq; describam, & singulis deinceps partibus, membrisq; quid judicii mei sit de verbis atq; sententiis, adscribam. Tu ex ipsis ad unum modo, idq; brevissimum, totius operis caput animadversionibus meis, de universi operis stylo quid judicem, si voles, judicabis.

Ceterum, iniquit, *non quia obscura sunt aut parerga, quæ Alvarus edidit, rejiciuntur; sed quia cerebrum aliquando noctescit pædagogorum. Crambem &c.*

De *cerebro noctescente* quid sentiendum sit, dicerem, nisi *cerebrum* tuum, mi Christopho-

ſtophore,non modo non *noctescens*, ſed neq; adveſperaſcens, immo dio atq; almo lumine dilucescens viderem, hoc eſt, ut vulgi more loquar, niſi acumen ingenii tui noſſem. Tantum dicam,neq;, *parerga* quæ ſint, aut eſſe in Alvaro & â *noctescente pædagogorũ cerebro rejici* dicantur, videre me, neq; parergorum, qui eſſe poſſit ad noctem reſpectus, aut quæ ejuſmodi relatio, ut eorum *rejiciendorum* cauſa in *cerebrorum noctescentium* tenebras conferenda ſit, intelligere. Sed hoc totum, quod neq; videam,neq; intelligam, quæ fortaſſe perſpicua atq; aperta ſunt, hebeti ac tardo ingenio meo, ſive ut aliquando vulgi more loqui dediſcam, *noctescenti cerebro* tribuendum eſt meo.

De pædagogis autem aliquid fortaſſe *cerebro* non *noctescente* diſpicio; quos noſter Vigilator eoſdem facit ac Grammaticæ præceptores: quum revera *pædagogi* ii ſint, qui puerorum informandis moribus, *præceptores* autem, qui ingeniis eorum excolendis, tradendiſq; diſciplinis adhibentur. Quintilianus *Instit: Orat:* libro I. c. 3. *Optimus*, inquit, *præceptor frequentia gaudet, ac majore ſe theatro dignum putat. At fere minores, ex conſcientia ſuæ infirmitatis; hærere ſingulis, & officio fungi quodammodo pæda-*

go-

gogorum non indignantur. Eſt igitur aliud *pædagogi*, aliud *præceptoris* officium. Seneca item *de Ira* lib: II. c.22. *Pertinebit*, inquit, *ad rem præceptores pædagogoſque pueris placidos dari.* Ad quem ipſum locum Juſtus Lipſius, *Paedagogi*,inquit,*diſtincti á praeceptoribus,antiquo illo more.Nam iſti nihil niſi aſſeclae erant, & ut puerorum progreſſus, actiones, mores obſervarent aut formarent, At praeceptores docebant & artes ſcientiaſque infundebant.*

Quaeras tu ex me fortaſſe hoc loco,utri ego muneri, paedagogi ne, an præceptoris Vigilatorē noſtrū,ſi forte aliqua aliquando neceſſitas poſtularet,præficiendū putarem.Ego vero utrumq;,vel in regio puero inſtituendo erudiendoq;,deferre illi mea ſententia non dubitarē:modo ne ille aut diſcipulo ſuo prælegeret, aut ab alumno ſuo legi ſineret Franciſci Barbari librum quemdam, quem valde ab eo adoleſcentibus commendari video in Vigilia ſua *de arte critica*: ait enim pag: 17. *Viderit etiam, quid Juſtus Lipſius de Militia, quid Octavius Ferrarius de Re veſtiaria, deq; Re uxoria Franciſcus Barbarus .... elegantiſſime diſſeruerunt.* Hac una exceptione adhibita, agat per me licebit, cujuſvis vel regii etiam, quemadmodum dice-

dicebam, pueri & Pædagogum ſimul & Præceptorem. Sed jam ad Vigilatoris locum de Alvaro revertamur.

Crambem porro recoquunt omnes, & ruta cæſa ruſpantur. Tranſmarinum &c.

Valde verendum eſt, ne *nocteſcens pædagogi* alicujus *cerebrum* hoc loco decipiatur, & aliquod pythagoricum convivium, primum ex *porro* ſive ſectili, ſive capitato, ſive utroq́; deinde ex crambe, ſeu braſſica, denìq; ex *ruta*, in aliquo horto Sarmatico *cæſa*, apparari heic, aut certe ſignificari putet. Itaq́; monendi ſunt omnes vocem *porro* non ut nomen, ſed ut adverbium cum *crambe* à vigilatore conjungi: vocem autem *ruta* longe heic aliud ſignificare, quam herbam. Dici non poteſt, quam ſit *pædagogorum* omnium, paucis aliquot exceptis, *cerebrum* cæcum, obſcurum, tenebroſum, ac plane *nocteſcens*; ut, niſi facem præferas, periculum ſit, ne vel in meridie cæcuciant atq; offendant. Nos videamus, tenebriones iſti quid faciant,

Crambem, inquit Vigilator, *recoquunt omnes*. Unde ſumtum hoc proverbium putas? non enim in ullo bono vetere ſcriptore umquam legiſti *crambem recoquere* pro *actum agere*; & ſi legiſſes, numquam profecto in

conci-

concione ulla tua paullo graviore, nec ad lixas aut calones habita, tam humili, tam abjecto, tam inquinato loquendi generi locum esse paterere. Unde igitur sumtum? An ex Apicio? Immo vero ex Apicii, aut alterius nescio cujus coqui officina. Sed verba omittamus: videamus rem. Difficile id quidem; non enim mihi jam heic *cerebrum*, sed tota nocturni Vigilatoris oratio *noctescit*. Itaq; quid ille voluerit dicere, video; quid dixerit, non video.

Omnes, inquit. Qui? an *omnes mortales?* Non, sed *omnes pædagogi*. Atqui potuerat id ita semel dici, ut primo statimq; quid diceretur, posset intelligi. *Pædagogi* igitur *crambem recoquere* dicuntur *omnes*. Falso enimvero dicuntur. nam profecto ex omni *pedagogorum*, hoc est Grammaticorum numero, aliqui, immo pleriq; sunt ex ea *recoquentium* turba excipiendi; ii nimirum, qui artem suam grammaticam nullam scripserunt. Dragonettus certe nullam ejusmodi *crambem recoxit* umquam: tantummodo à Nebrissense coctam ipse nonaginta annorum spatio in calido quidem, ut fama est, at non fervente jure servavit. Non ergo *Pædagogi omnes crambem recoquere* vere dici potuerunt.

Restat,

Reſtat, ut ii ſolum dicantur id facere, qui ſuas poſt aliorum grammaticas inſtitutiones ſcribunt. At id non modo non vere, ſed ne ſine inſigni quidem plurimorum ac maxime illuſtrium Grammaticorum contumelia dici poteſt. Multos ante M. Terentiū Varronem de arte grammatica ſcripſiſſe conſtat. Scripſit tamen de eadem poſt eos ipſos idem Varro; ſcripſit Iulius Cæſar (quorum uterq́; Ciceroni ſua ſcripta dedicavit;) ſcripſit Nigidius Figulus; ſcripſit Cornelius Nepos; ſcripſere deinceps ad hanc noſtram ætatem innumerabiles alii: de quibus & Svetonius Tranquillus in opere *de Illuſtribus Grammaticis*, & Gerardus Joannes Voſſius in *Ariſtarcho*, & alii recentiores egerunt. Hoſce *omnes*, tam multos, tam doctos, tam egregie de latinis litteris meritos, tanto apud omnes eruditos in honore habitos, *crambes recoctores* appellare, nonne inſignis contumelia eſt? nonne etiam aliqua ita appellantis impudentia?

Quod ſi eadem in grammaticis rebus tractare, quæ ab aliis ante tractata ſunt, non eſt niſi *crambem recoquere*, quidni omnes, qui in reliquis item facultatibus aliquid poſt alios ſcripſiſſe deprehenduntur, *crambes*

modo

modo *recoctores* & habeantur & appellentur? Videat igitur Vigilator, ne (siquidem de pöesi, de arte critica, de reliquis rebus, quarum ipse tractationem in suis Vigiliis instituit, alii tam multi ante ipsum egerunt) non *Sarmaticarum noctiũ Vigiliæ* inscribendus liber suus fuerit, sed *Sarmaticarum culinarum crambes recoctiones*. quum præsertim, quæ eo libro continentur, pleraq; non in Sarmatia, sed in Italia vigilata sint; ubi eadem ipsa ante annos amplius duodecim multi atq; adeo plurimi ex ipsius Vigilatoris ore in annuis studiorum instaurationibus Florentiæ audita à se esse meminerunt: ut propterea illa omnia, præter admodum pauca, *crambem* in Italia *COCTAM*, in Sarmatia *recoctam* omnino redolere ac sapere videantur.

Sed jam à *crambe recoquenda* ad *ruta cæsa ruspanda* hoc est, ab oleribus, à culina, ab igne, à coquis, ad granaria, ad arenam, ad cretam, ad tegulas, ad arbores, ad carbones, deniq; ad jureconsultos, inopinato sane ac mirifico transitu, seu potius saltu veniamus. Hoc quoq; proverbium est, sive, ut verius dicam, proverbii loco à Vigilatore adhibetur, *Ruspari ruta cæsa.* Sed quemadmodum negabam, primum illud

de *recocta crambe* ab ullo vetere bono ſcriptore adhibitum reperiri, ſic, hoc altero de *ruſpandis rutis cæſis* neminem neq; recentem, neq; bonum, neq; malum Scriptorē eſſe uſum, affirmo. Ut ab Jovis cerebro Minervam, & à nube Centauros editos pöetæ fabulantur, ſic à nubilo, ne dicam *noctescente* Vigilatoris *cerebro* proverbium hoc de *ruſpandis rutis cæſis* admirando ſatu prodiit, nempe in lucem, inquies. Non inquā, ſed plane in tenebras. nam profecto nihil fieri poſſe obſcurius eo proverbio vides, ſive ſingula verba, ſive omnium ſignificationem ſententiamq; conſideres. Nego, eſſe in tota Europa, Aſia, Africa, Americaq; quemquam adeo in latinorum auctorum lectione verſatum, qui, ſi ſubito interrogetur, hæc ſibi quid velint, non hæreat, non tempus ſibi ad conſiderandum dari poſtulet, non gloſſaria conquirat, ac conſulat non deniq;, quo plus conſiderarit, eo ſe minus quo pertineant, intelligere fateatur.

Primum *ruſpari*. Unde hoc verbum? non enim ex Plauto, non ex Terentio, non ex Cicerone, non ex Virgilio, non deniq; ex ullo vetere latino auctore, cujus ad nos ſcripta pervenerint. Ex veterum Scripto-

rum

rum fragmento aliquo esse fortasse sumtum dices. Audio: ac sane ita res habet. Sed quam paucos putas fragmenta ista legere? quam autem non multos quæ semel cursimq; legerint, ut ea meminerint, laborare? Neq; enim studiosi qui sunt latine aut dicendi aut scribendi, magnopere facultatē utriusq; rei suā istorū lectione aut memoria adjuvandā putant. Non in *ruspando* ejusdemq; generis latinæ lingvæ purgamentis, recrementis, deniq; (honos sit auribus) excrementis, latinæ orationis copiam atq; elegantiam esse sitam intelligunt. Si quid in ejusmodi fragmentis ad rerum atq; antiquitatis cognitionem pertinens offenderint, aut etiam si in verbum tale aliquod inciderint, quod ita proprium, notandisq; rebus accommodatum sit, ut nullum par aut simile in eorum, qui ætatem tulerunt, ad nosq; aut integri aut pæne integri pervenerunt, Latinorum Scriptorum libris occurrat, id modo sibi seponunt, id memoriæ mandare curant, eo apte ac loco sive loquentes sive scribentes utuntur. Reliqua autem Evandrica, Pompiliana, Saliaria, Enniana, Pacuviana, Luciliana, Næviana, Acciana, prisca, casca, cassa, obsoleta, inepta ac sæpe ridicula, optimorum, quos habemus, veterum

scri-

ſcriptorum judicio atq́; ipſo uſu repudiata, prætereunt ac negligunt; eaq́; Grammatiſtis ac Literatoribus æquo animo uſurpanda atq́; abutenda relinquunt.

Hujus eſt generis *ruſpari*; cujus verbi ſignificationem omnino neſciremus, niſi duo veteres Grammatici,qui minus uſitatas, & ſua ipſorum ætate vix intellectas voces (quæ *Gloſſemata* à Varrone & Quintiliano dicuntur)interpretati ſunt, de ea poſteritatẽ in gloſſariis ſuis monuiſſent. Feſtus quidẽ *Ruſpari*, inquit, *eſt quærere cribro*, (atq́; hæc quidem lectio eſt antiquiſſimi codicis, quem Fulvius Urſinus edidit,) *ut hoc verſu indicatur, Et ego ibo, ut latebras ruſpans rimarem optimas.* Ante Urſinum ediderat eumdem Feſti codicem, una cum Feſtiani operis epitome, per Paulum Diaconum Caroli Magni temporibus confecta, Antonius Auguſtinus anno 1560. Venetiis apud Jordanum Zillettium, atq: hunc ipſum Feſti locum ita ſcriptum attulerat: *Ruſpari eſt quærere crebro, ut hoc verſu indicatur: Et ego ibo, ut latebras ruſpans rimer amaptimas:* Pauli autem hæc verba retulerat: *Ruſpari eſt crebro quærere.* Dionyſius vero Gothofredus in ſua *Auctorum Latinæ Lingvæ* apud Leimarium anno 1585. editione non

non *crebro*, sed *cerebro* scribentem Paullum exhibuit.

Heic propemodum necesse est, *cerebrum* non *pædagogorum* modo, sed omnium eruditorum in tanta lectionum varietate atq; obscuritate *noctescere*. Legendum ne *cribro & rimarem optimas*, an *crebro*; aut *cerebro & rimer amaptimas*? Harũ omniũ quæ sit lectio planissima, nemo non videt. Sed, planiores veterum scriptorum, præsertim talium, lectiones quæ sunt, easdem non continuo veriores quoq; esse habendas, quis vel mediocriter eruditus, & paullum modo in hoc interpretandi genere versatus ignorat? Omnino quo ista modo primum ab auctore suo fuerint scripta, nemo præstare possit; nec quisquam paullo elegantior haurire ex tanta fæce quidquam velit.

At Festi locum atq; sententiam alter Grammaticus, ejusmodi glossematum, aut etiam, si vis, ænigmatum interpres, Nonius Marcellus confirmat. ait enim: *Ruspari est scrutari. Accius Nyctegresia: Jube nunc attemptare, jube nunc animo ruspari Phrygas. Idem Meleagro: Vagent ruspantes silvam sextam tesseras.* Verum quam multa sunt heic quoq; fæculenta, obscura certe, ac *noctescentia!* Utinam Accii hæ fabulæ *Nycte-*

gresta ac *Meleager* extarent! Fortasse non modo hæc obscura illustrarentur, sed etiam quid de hujus Grammatici interpretatione illa sentiendum esset, appareret. Nam te profecto non fugit, quam non fidus glossematum suorum interpres Nonius Marcellus fuerit; cujus cum negligentia, tum imperitia in eorum Latinorum, quorum ad nos scripta pervenerunt, afferendis explicandisq; locis incredibilis ac mira deprehenditur. Ciceronis quidem (ut Plautum ac Terentium omittam) audebo dicere vix unum & alterum ab eo ex tam multis, quos affert & explicat, locis, aut non corruptissimum afferri, aut non perperam pessimeq; explicari. Non longe abieris. Quære ex eo, quæ *Ruta* dicantur. *Ruta*, inquit, *dicuntur diruta. Cicero de Oratore libro II. Et dicis, te, cum ædeis venderes, ne in rutis quidem & cæsis solum tibi paternum recepisse.* Num potuit depravatius Ciceronis hic locus afferri? num, quæ *Ruta* dixerit Cicero, is Grammaticus intellexit, qui *Ruta* significare idem, ac *Diruta*, Cicerone usus auctore, dixerit? num deniq; si idem mihi, Accium, quem numquam vidi, nec videre potui, *ruspari* pro *scrutari* usurpasse affirmarit, & unum aut alterum illius poëtæ versiculum,

eumq;

eumq; valde corruptum, & ab reliqua oratione atq; ab integra ſententia divulſum, ex Nyctegreſia neſcio qua, aut Meleagro, quo dictum ſuum confirmet, attulerit, continuo credam, ita Accium loquutum, & ego ſimiliter loqui non verear? Ego vero, tuq; etiam, ut opinor, ſane verebimur.

Sed fac, *ruſpari* verbum non eſſe inſolens, fac, ejus certiſſimam ſignificationem eſſe ex Feſto quidem *crebro quærere*, ex Nonio autem *ſcrutari*. Quid tandem illa conjuncta *ruſpari ruta cæſa* ſignificabunt? Scire non poſſumus, niſi prius, quæ ſint *ruta cæſa*, ſcierimus. Sunt autem ea verba ex medio jure non coquinario, (ne forte erres,) ſed civili deprompta: idq;ego abs te intelligi volebam,cum paullo ante dixi, à *crambe recocta* atq; à *coquis* ad *ruta cæſa* atq; ad *jureconſultos* nobis eſſe tranſeundum. cætera, quæ tum de *granariis*, de *arena*, de *tegulis*, de *carbonibus*, à te fortaſſe minus intellecta, dixi, mox intelliges.

Jureconſultos igitur audiamus. Quintus Mucius Scævola de verborum ſignificatione L. 241. *In rutis*, inquit, *cæſis ea ſunt, quæ terra non tenentur, quæq; opere ſtructili tectorioq; non continentur.* Præclara ſane definitio, & tanto viro digna! Sed video, te

tamen aliquid adhuc planius ac dilucidius desiderare. Audi igitur Cassium apud Javolenum. L. 18. D. de action. vend. & empti. *Granaria*, inquit, *quæ ex tabulis fieri solent, ita ædium sunt, si stipites eorum in terra defixi sunt; quod si supra terram sunt, Rutis, & cæsis cedunt .... Tegulæ nondum ædificiis impositæ, quamvis tegendi causa sunt allatæ, in Rutis & cæsis habentur.* Audi Ulpianum D. lib: 50. tit. 16. lege 241. *si ruta cæsa*, inquit, *excipiantur in venditione, ea, placuit ea esse Ruta, quæ eruta sunt, ut arena, creta, & similia. Cæsa ea esse, ut arbores cæsas, & carbones, & his similia.* Habes quæ *ruta* & *cæsa* dicantur ab iis, qui verborum significationem haud paullo certius, quam aut Festus aut Nonius, scire potuerunt.

Macte animis: *ruspemur* jam mi Christophore; atq; alacriter inquiramus, *ruspari ruta cæsa* quid valeat. Ne dubita facillima, mihi crede, *ruspatio* hæc est, atq; inquisitio. Nam, si *ruspari* significat *crebro*, aut *cribro*, aut *cerebro quærere* ex Festo; *Scrutari* autem ex Nonio; *rutis* vero *cæsis* ea multa significantur, quæ juris consultissimi iis significari dicunt: profecto *scrutari ruta cæsa* hoc valebit, *crebro*, aut *cribro* aut *cerebro quærere*

sive

five *fcrutari* aut *granaria ex tabulis facta, quorum ftipites in terra non fint defixi*, aut *tegulas, nondum ædificiis impofitas*, aut *arenam*, aut *carbones aut cretam*, aut *fimilia*. Hæc mihi planiffima videntur omnia, & meridiana luce clariora; fed *cerebro* tuò, fortaffe hoc loco mifere *noctefcenti*, non item.

Quid dicam? quid faciam? quibus funalibus noctem iftam vincam, tenebrafq; difcutiam? iterem ne centies eadem tibi? Non poffum ego facere, quod pædagogi, ut *eamdem crambem recoquam*, & *ruta cæfa rufper*. Nec vero, fi poffim, meæ falutis atque incolumitatis caufa velim. Nam quid me mifero fieret, fi in illa *rutorum cæforum rufpatione*, dum *granaria*, *ftipitibus* non *in terra defixis*, fed extantibus, *fupra terram*, minime firma atq; ftabilia, confcendo, ruina repente facta, prolaberer, caputq; in *tegulas, nondum tectis impofitas*, aut in *cæfas arbores* præceps impingerem, &, calvaria diffracta, excuffoque atque efufo, quo illa *quærebam*, *cerebro*, in *arena*, *creta carbonibus*, & *fimilibus* moribundo corpore volutarer? Quis me in illis *rutis cæfis* diruptum, concifum, obrutum vefpillo *rufparetur?* quis, fi forte nondum animam exhalaffem,

 de-

defectum viribus atque langventem misericors *pædagogus*, non dicam vitulino aut gallinaceo, sed vel *recoctæ crambes* jusculo recrearet? Mihi vero certum ac deliberatum est *ruspationes* istas nimis periculosas fugere; neq; tu velle debes periculo meo sapere.

Quod si nondum assequutus es, quid sit *ruta cæsa ruspari*, neq; si id maxime assequeris tamen intelligere tibi videris, quanã ratione, qui grammaticas institutiones deinceps post alios scribunt, & *recoquere crambem* dicuntur, iidem etiam *ruta cæsa ruspari* dicantur, nec, quid in ejusmodi scriptione ac *recoctione* simile *ruspationis* ac *rutorum cæsorum* sit, vides; ne te mi Christophore, quæso, discrucies. non enim tibi soli, sed omnibus mortalibus id, quemadmodum supra dicebam, contingit, omniumq; omne *cerebrum* in hac quidẽ re omnino *noctescit*. Omnes, omnes, inquam, ne ipso quidem Vigilatore, qui primus mirificum proverbium excogitavit ac protulit, excepto, in eadem, ut ajunt, navi versantur; ac tamquã in fœda aliqua tempestate

Eripiunt subito nubes cœlumq; diemq;
Cunctorum ex oculis: Ponto nox incubat atra.

Illa te potius spe sustenta, fore ut Neptunus aliquis tu-

.... tumida æquora placet,
Collectosq; fuget nubes, solemq; reducat:
tuq; ea, quæ sequuntur, multo lumine collustrata videas, nulloq; negotio statim intelligas. Pergit itaq; Vigilator:

Transmarinum hominem. & Maderæ natum demirari potius, quod Romanæ dictionis vim tantam & penitissimam assecutus, eam deinde funditus exposuerit, merito & jure deberent, modo rem æqui boniq; facerent. Nam si &c.

Quid est, mi Christophore? videor mihi videre te utraq; manu oculos perfricantem: Numquid tibi *cerebrum* adhuc *noctescit?* nondum ne recte ac dilucide vides? num ista ipsa non satis intelligis? Equidem, quid possit vel tibi vel cuiquam in istis esse obscurum, non video. Non latina quidem esse quædam confiteor. Nam certe *Romanæ dictionis* pro *Romanæ lingvæ*, aut *Romani sermonis*, non est latinum; & siquidem à *dictionis* vocabulo recedere nollemus, non *Romanæ dictionis*, sed *Romanarum dictionum* dicendum fuit: & illa *tantam & penitissimã* non bene latine conjunguntur. neq; enim post nomen *tantus* superlativo ulli nomini locus est apud Latinos; diciq; omnino oportuit non *tantam & penitissimam*, sed

tantam & tam penitam. deniq; *funditus exponere* non magis latinum eſt, quam quod neſcio quis alius dixit *funditus* (hoc eſt *à fundamentis*) *ædificare.* Hæc, inquam, non latina in iſtis eſſe confiteor, verum obſcura eſſe aut iſta ipſa aut reliqua hujus loci, quis poſſit dicere? Superiora illa certe *Tranſmarinum hominem & Maderæ natum &c.* non modo non obſcura mihi videntur eſſe, ſed etiam nimis aperta atq; perſpicua; ut omnino, ne plurimi mortales orationis libertate ac petulantia offenderentur, multo ſatius fuerit, aut ea ſilentio præteriri, aut ſaltem diſſimulantius tectiuſq; dici.

Primum; *mirari* homines *debere,* ait Vigilator, quod Alvarus, *homo* ille videlicet *tranſmarinus, tantam* latini ſermonis *vim ac facultatem* ſit *aſſequutus.* Quid? qui trans mare naſcuntur homines, utrum naturæ conditione, an lege cæterorum hominum aliqua, ab ſimili *vi* ac facultate *aſſequenda* prohibentur? Mirandum quiddam ac portenti ſimile habendum eſt, unum aliquem *tranſmarinum hominem* exſtitiſſe, qui bene latinā lingvā didicerit, & bona de latina lingva præcepta tradiderit? Si *marinus homo* id feciſſet, tum enimvero miraremur, & portentū, prodigiū, monſtrum, ſane horrendum,

dum, immane, ingens, illud duceremus. Quod vero idipſum *tranſmarinus homo* fecerit, non magis mirandum eſt, quam homines cæterorum hominum ſimiles trans mare etiam naſci, Latinorum libros trans mare etiam legi, latinas litteras atq; doctrinam in pretio trans mare etiam haberi; deniq; medium, quod inter Latium & *homines tranſmarinos* interjacet, mare, nullam *tranſmarinorum* potius, quam qui in medio ipſo Latio nati ſunt, hominum ingenia hebetandi vim poteſtatemq; obtinere. An Græci veteres illi omnium doctrinarum inventores, perfectores, Latinorumq; hominū doctores non *homines tranſmarini* fuerunt? Tam multi ex omni Europa excellentes viri, & Græcorum in inveniendis, perficiendiſq; ingenuis artibus æmuli, quorum ingeniis atq; doctrinis Latium hoc ipſum nullo non tempore, atq; Italia cuncta eruditur non *tranſmarinis hominibus* annumerantur? Et *demirari* nos adhuc Alvarum, latini ſermonis vim ac facultatem aſſequutum, Vigilator edicit, *demirari*, inquam, ob eam rem, quod is *homo* fuerit *tranſmarinus*? Tantumne *tranſmarinus*? Immo, inquit, & *Maderæ* præterea *natus*. Si tantummodo *tranſmarinus homo* fuiſſet Alvarus,

rus, isq; *tantam & penitissimam Romanæ dictionis vim assecutus, eam deinde funditus exposuisset*, certe mirandum esset. Quod vero id præstiterit *homo* non modo *transmarinus*, sed *Maderæ* etiam natus, id profecto multo admirabilius est, ac propemodum incredibile.

Serio ne hæc, an joci causa? in vigilia ne, an in somniis? terrestribus ne hominibus, an marinis piscibus à Vigilatore narrantur? *Maderam* cum dixit, an putavit, se Abderam dicere? nec *Maderæ* nasci aliud esse credidit, quam *Vervecum in patria crassoq; sub aere nasci?* An, quod verbo hoc *Madera* ad *ligneam* etiam *materiam* significandam Hispana ac Lusitana gens utitur, non nisi truncos ac stipites in *Maderæ* insula nasci existimavit? Hoc de Maderitanis, optimis hominibus atq; humanissimis sentit? ita etiam loquitur, & quidem vigilans, Vigilator? Quid mirum est? Ne vobis quidem, item optimis atq; æque humanis hominibus, Polonis meis, apud vos scribens, pepercit. *Scythas* vos in hac eadem *de poëseos & poëtarum studio* Vigilia pag. 31. valde urbane ac familiariter appellavit. Tolerabilius, mea quidem sententia, fuisset, non modo *transmarinos* vos *homines* ab eo,

sed

fed vel ex imo maris fundo exortos, aut *Maderæ funditus natos*, quam *Scythas*, Hamaxobios illos fcilicet, appallari.

Sed jam ab hominum contumeliis ad Alvari magnificentiffimam laudationem, per eamq;occafionem ad Dregonettianum illud, quod fupra dicebam, fomnium incautis, ac *noctefcentibus cerebris* objiciendum Morpheo Vigilator accedit:

Nam fi, inquit; *prolixior* (Alvarus) *quia nimis navus, fi forte acutior, quia nimis doctus (fiquidem in eruditione & litteris nimium culpari poffit,) vel acutiffimæ gentis perfpicacitati, unde originem traxit, vel præceptori olim fuo Leontino fcilicet, grammaticorum gnariffimo, Gafpari Dragonetto libere tribuendum. quem virum &c.*

Vides mi Chriftophore, quo tandem
Poft varios cafus, poft tot difcrimina rerũ,
Totq; exantlatos terraq; mariq; labores,
poft Cimmerias illas *Cerebrorum* aditas obitafq; *noctes*, poft iteratas ac peftilentes *crambes recoctiones*, poft periculofas *rutorũ cæforum rufpationes*, poft bellum cum *tranfmarinis hominibus*, ac potiffimum cum *Maderitanis* acerrimum, poft Alvari, *prolixioris, quia nimis navi forte acutioris, quia nimis docti* victoriam, de *noctefcentibus pædago-*

dagogorum cerebris relatam, quo tandem, inquam, ſuperum benignitate, devenerimus. Huc omnis ille tantus apparatus, huc illa rerum tanta molitio, huc illæ tantæ *cerebrorum* clades, huc ille tantus Alvari de *cerebris* triumphus comparabatur, ut de Dragonetto, Alvari præceptore, ſomnium ſuũ Vigilator vobis, *Sarmaticas noctes* arcte dormientibus, improviſus ac repens obtruderet.

Cæterum illi cum Alvaro neq; res, neq; ratio fuit umquam: non de hominis fama ab obtrectationibus pædagogorum vindicanda numquam laboravit: grammaticas ejus inſtitutiones neq; ſatis attente umquam legit, neq; vero ex earum lectione valde proficere ſe poſſe ſperavit: neq; hominem ille magnopere umquam dilexit, neq; *rem æqui, boniq; fecit*. Quæ de Alvaro deq; Alvari præceptis Vigilatoris ſententia ſit, ipſemet in Vigilia *de arte Critica* pag. 26. *funditusq; exponit*. Audi *funditus exponentem*, meq; etiam quædam obiter, non *funditus*, adnotantem. (nam difficile eſt, mihi crede, quidquam ex his Vigiliis deſcribere, & non aliquid, ſaltem obiter adnotare.)

Ego vero, inquit, *minimum de præceptis* (Grammaticæ) *laboro* (nos vero valde hoc

illi

illi credimus,& experti etiam ſæpe ſumus,) *etſi ea, pauciſſimis ſi includantur legibus* (vult, *præcepta legibus*, hoc eſt, *præceptis* includi,) *non interlino* (præſertim ſi voce, non ſcripto tradantur. non enim vocis miniſterio tradita *præcepta* poſſet, etiam ſi vellet, interlinere. Sed profecto magna habenda eſt huic Critico à Grammaticæ præceptoribus gratia, quod *præcepta*, modo *pauciſſimis legibus includantur*, ſe non interliturum promittat. Interea plurimis, aut etiam multis *legibus incluſa*, ſi qua iidem præceptores in ſuis adverſariis ac libellis habent, occludant ſine mora, & in penitiſſima & maxime *noctescentia* ſcrinia confeſtim abdant, nec ea à Critico videri ſinant, ne ab eo miſera interlinantur.) *Sunt enim* (cauſa heic affertur non ejus, quod proxime præceſſerat, *non interlino*, ſed ſuperiorum *minime de præceptis laboro*) *pleraq; à multis obſcure & confuſe ex veteribus* (præceptis ne, an præceptoribus? obſcurum eſt, ſi non etiam confuſum) *compilata* (Quod *multi pleraq;* Grammaticæ *præcepta ex veteribus* magiſtris *obſcure & confuſe compilarint*, non ſatis juſta cauſa eſt, cur de iiſdem præceptis non ſit omnino laborandum; quæ certe, ut in reliquis artibus, ſic in Grammatica, ſunt neceſ-

necessaria: non enim sine præceptis ars ulla consistit. itaq; si obscura & confusa compilantium à veteribus magistris præcepta displicent, abjiciantur illa quidem; veterũ autem magistrorũ nec obscura nec confusa retineantur, de iisq; saltem laboretur, siquidem in hac arte elaborandum est:) *quæ in idem recidunt, exucca* (malim *exsucca*) *licet* (Latine scribentibus non licet vocabulum *licet* pro *quamquam*, *etsi etiamsi &c.* atq; ut veteres Grammatici dicunt, adverbialiter adhibere, nisi id cum aliquo verbo, quod, ut iidem Grammatici loquuntur, conjugetur, eoq; non subaudito sed in ipsa oratione enunciato, conjunxerint. Est præterea valde absurdum atq; ridiculum dici, *Præcepta, etsi exsucca, in idem* tamen *recidere*, quasi non perinde possent *in idem recidere*, etiamsi *exsucca* non essent,) *& sterili* (*mera*, aut *una*, aut *sola* mallem) *verborum mutatione recocta* (recoquitur ne *mutatio*? non, sed ad præcepta vox illa *recocta* refertur. Bene est Sarmaticis dipnosophistis, Critici Vigilatoris nostri convivis, cœperant *recoctam crambem*, toties appositam, fastidire. itaq; fit *sterilis* quidẽ, sed tamen aliqua *mutatio* pulmenti; mensis præcepta *recocta* inferuntur. Nec, quod

exsucca

exſucca paullo ante dicta eſſe meminerint, quidquam perturbentur, veriti, ne, nimio inter *recoquendum* calore, magis *exſucca* evaſerint, ac penitus exſucta atq; exſiccata duruerint. Nam cogitare debent, iſtiuſmodi *recoctionibus* nullam vel ferream duritiem obſtare, auctore ac teſte Virgilio libro VII. Aen. v. 636. *Recoquunt patriis fornacibus enſes.* Itaq; pergant ſine ulla cura epulari, & hilare præcepta iſta *recocta* helluentur.) *Pauci admodum in hoc genere, doctorum judicio, excelluerunt, & ſi verum perplacet* (*placere verum* hoc loco ſatis eſt; *perplacere* plus eſt, quam ſit neceſſe,) *nemo* (quomodo *nemo?* ſiquidem ſaltem *pauci, doctorũ judicio, excelluiſſe* proxime dicti ſunt. Aut igitur falſitatis *doctorum judicium* condemnandum eſt, aut veritatem Critico Vigilatori minime *perplacere* confitendum) *hactenus* (Qui latine ſciunt, non *hactenus* hoc loco, ſed *adhuc* ſive *ad hanc diem* ſcripſiſſent:) *niſi velis* (non ſatis latinum puto *niſi velis* pro *niſi ſi vis.* nam certe *niſi* cum particula excipiens, non autem, ut ajunt, conditionalis eſt, neq; ulli aut nomini, aut orationis parti, tamquam nomini, adhæret, aliquam ſibi aliam particulam, & inter cæteras *ſi,* ſolet adſciſcere,

ſcere, ac tum verbis indicativi, quem dicunt, modi conjungi. Plautus Menæch. *Niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus.* Varro de Ling. lat. lib. 8. *Niſi ſi non eſt homo.* Id. de Re ruſt. lib. 2. c. 3. *Niſi ſi glabræ ſunt.* Cicero lib. 2. de Orat. c. 237. *Miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte jactant.* Quo in loco quidam editi libri perperam *ſi* omiſerunt. Idem ad Att. lib. 2. ep. 3. *Niſi ſi quid erit.* Quintilianus lib. XI. c.3. *In laudationibus, niſi ſi funebres ſerunt &c.*) *breviſſimum & compendiarium Franciſci Serræ* (de hoc Franciſco Serra habeo, quæ dicam, prope gemina eorum, quæ de Gaſpare Dragonetto dixi. Verum ea malo ad aliam epiſtolam reſervare) *neotyron* (potius *neothyrion.* eſt enim perpuſillus, ac vere *exſuccus* libellus, quo nonniſi pervulgata atq; communia Grammaticæ elementa puerulis diſcenda proponuntur) *pluribus* (immo *omnibus* dictũ oportuit, non *pluribus*; ſiquidem, *ſi verum perplacet, nemo hactenus* in hoc genere excelluit) *anteferre.*

Non equidem putaram, tam ſæpe, tam multiſq; verbis mihi Vigilatoris hunc ſermonem abrumpendum. Eum igitur tibi, mi Chriſtophore, nulla mea oratione interruptum, ne non ejus ſententiam, ac *vim tan-*

tam

tam & penitissimam assequaris, reddam atq; iterabo. *Ego vero*, inquit, *minimum de praeceptis laboro: etsi ea, paucissimis si includantur legibus, non interlino. Sunt enim pleraq; a multis obscure & confuse ex veteribus compilata; quae in idem recidunt, exucca licet, & sterili verborum mutatione recocta. Pauci admodum in hoc genere doctorum judicio excelluerunt, &, si verum perplacet, nemo hactenus: nisi velis brevissimum & compendiarium Francisci Serrae neotyron pluribus anteferre.*

Nunc refer te mecum ad id, cujus causa hunc è Vigilia *de arte critica* locum attuleram. An parum tibi videtur mentem sententiamq; suam de Alvaro, deq; ejus grammaticis institutionibus Vigilator hoc ipso loco aperire ac declarare, qui Alvaro Serram, & Serræ levissimum ac miserabilem libellum grammaticis Alvari institutionibus anteferat? Putas, illum, quæ in hac nostra *de pòësos & pòëtarum studio* Vigilia de *eorum, quae Alvarus edidit, neq; obscuritate neq; parergis*, quæ de *hominis transmarini & Maderae nati, tantamq; & penitissimam Romanae dictionis vim assecuti, admirabilitate*, quæ de ejus *nimia navitate, nimiaq; doctrina* dicit, ea ex animi sui sententia &

ſimpliciter ac ſine ſuco dicere? Non conſilium, non artificium, non deniq;, *ſi verum perplacet*, calliditatem atq; malitiam recocti Vigilatoris animadvertis, qui Alvari collegarum aliquam fortaſſe offenſionem. ſi Alvarum à Dragonetto Grammaticam didiciſſe dixiſſet, veritus, & tamen id potiſſimum dicere, quod ſibi ſuiſq; glorioſum, alienis autem pudendum, aut certe ingratiis audiendum exiſtimabat, in animum inducens, hominibus, præmiſſa Alvari laudatione, & ſimulato hominis patrocinio ſuſcepto, blande palpetur, animoſq; ſibi in difficili & invidiæ, ut putabat, pleniſſimo loco deliniat atq; conciliet? ſed ipſius verba iterum audiamus, eaq;, ut inſtituimus, expendamus atq; explanemus.

Nam ſi inquit, *prolixior Alvarus, quia nimis navus, ſi forte acutior, quia nimis doctus* &c.

Tu ne quæſieris hoc loco, quo prima vox illa *Nam* referatur, cujuſq; rei, proxime dictæ, cauſam rationemq; commonſtret. Nam quid hoc ad rem pertinet? aut, ſi dicerem, referri eam ad aliquid, non quidem in oratione poſitum, ſed in Vigilatoris mente retentum atq; occultatum, nonne acquieſcere deberes? An non ſimiliter loquutos ſan-

ctiſſi-

ctissimos viros & prophetas meministi, Ezechielem præsertim, cujus vaticiniorum liber copulante particula *et* inchoatur? *Et factum est*, inquit, *in trigesimo anno* &c. In quem locum legisti tu profecto illam doctissimi sacrorum codicum interpretis Cornelii à Lapide enarrationem: *Conjunctio ET, inquit S. Gregorius heic Homilia I. & S. Augustinus in psalmum 4. nectit verba exteriora prophetæ cum visione interiore.* Noli igitur de vocula illa *nam*, & de ejus adhibendæ causa frustra ac plane sine causa laborare. Sententiam potius Vigilatoris & egregiam Alvari ab eo institutam defensionem attende. Non ille in eo ullum aut *nimiæ prolixitatis* aut *nimii acuminis* vitium agnoscit: sed, quum aliqui tamen aliquando fuisse videantur, qui Alvaro, quod *prolixior acutiorq;* fuerit, crimini dederint, cum his sibi rem esse intelligit, hos sibi insectandos concidendosq; statuit, cum his *cerebris noctescentibus* sic agit quodammodo (nam mihi profecto, ejus illa verba diu multumq; consideranti, & vim sententiæ *tantam & penitissimam assequi* conanti, non aliter, quod dicit, *funditus exponi* videtur posse:)

Do, inquit, *vobis, ne nimis pertinax esse*

videar, quod certe possem negare, do, inquam, atq; concedo, Alvarum in tradendis Grammaticæ præceptis PROLIXIOREM *fuisse etiam, si ita vultis,* ACUTIOREM. *Sed utrum, o* HOMINES CEREBROSI (invenies mi, Christophore, hæc ipsissima Vigilatoris nostri, paullo fortasse in insectandis hominibus acrioris, & si non *acutioris*, certe *prolixioris*, & acerbioris, atq; ut ita dicam, aculeatioris, verba in Vigilia *de arte critica* pag: 24. 36. & 40.) *DIGNI OPPIDO, QUI VEL ANTICYRAM DEPORTEMINI, VEL MARSYÆ POENAM PERFERATIS, QUIBUSQUE HELLEBORUM OPUS EST, AUT MINIMUM RESTIS, GUMIÆ, LUDIONES, MIMI, CIRCULATORES, QUI MOLLIUS CAPILLUM FINGERE, ET CLUNES AD TIBIARUM NUMEROS AGITARE, ET DEFUSO VINO EX OENOPHORO GALLICUM EXHALARE ET HUNGARICUM AMATIS, utrum, inquam, non intelligitis, an non intelligere vos simulatis, quæ causa* PROLIXITATIS *in Alvaro, quæ item* ACUMINIS *fuerit? Quid heic ego vos, Asini, litteras doceam? non est opus heic*

ver-

verbis, sed verberibus. Attamen docere vos nunc primum, quod etiam postremum fore scire vos velim, propter singulare meum erga Alvarum studium atq; amorem mirificum non gravabor. Audite igitur ex me, quod frustra ab aliis requiratis, primum de Alvari, quam dicitis PROLIXITATE, *tum de* ACUMINE. NAM SI PROLIXIOR *fuit Alvarus, scitote, ideo* PROLIXIOREM *eum fuisse, quia fuit* NIMIS NAVUS. *Habent hoc homines, qui sunt* NIMIS NAVI, *hoc est nimis diligentes, ut non, quemadmodum vulgus imperitorum* FUNDITUS *opinatur, supervacanea ac redundantia, si qua sunt, in scriptis suis,* NAVITATE *illa sua ac diligentia removeant ac tollant, sed ut ea retineant, atq; etiam inculcent; Qui autem minus* NAVITATIS *ac diligentiæ in scribendo adhibent, eorum scripta sunt, quemadmodum mea esse videre potuistis, ferme breviora: Habetis* PROLIXITATIS *causam in Alvaro,* NAVITATEM *ac diligentiam. Fugite vos* NAVITATEM, *fugite diligentiam nisi* PROLIXI *esse vultis. Brevitati nihil tam est inimicum, quam* NAVITAS *ac diligentia. Si* NAVI *ac diligentes fueritis, pöema vobis, versus exempli causa scri-*

 ben-

bentibus, PROLIXUM *atq; vitioſum. ſin vero ignavi ac negligentes, breviſſimum abſolutiſſimumq; naſcetur. Mirari ego P. Virgilii Maronis conſilium non ſatis queo, qui in Græciam atq; Athenas navigare inſtituerit, ut in illo ſeceſſu atq; otio* CRAMBEM RECOQUERET, *hoc eſt, Æneidem ſuam, non ſatis ſuo quidem judicio perfectam atq; abſolutam, retractaret ac diligentius perpoliret. Ego vero illi, ſiquidem navigare ei in mentem venerat, ut Anticyram potius caput inſanabile navigaret, auctor fuiſſem. Uſq; adeo illi opus erat* HELLEBORUM, *aut, ut* MINIMUM, RESTIS, *uſq; adeo mente* FUNDITUS *captus, inſaniebat, ut majore* NAVITATE *ac diligentia adhibenda poëma ſe ſuum aut brevius aut perfectius redditurum ſperaret. Atqui,* SI VERUM PERPLACET, *minime, dubitandum eſt, quin, niſi mors ſtultiſſimi hominis conſilio voluntatiq; obſtitiſſet, opus ipſe ſuum,* NAVUS *ſcilicet ac diligens, multo & PRO*LIXIUS *& deterius fuiſſet effecturus. Hæc eadem, quæ Virgilio in Æneide perficienda obfuiſſet,* NAVITAS *ac diligentia, Alvaro in conficienda arte ſua grammatica obfuit; qui ſi minus* NAVUS *ac diligens fuiſſet.* PROLIXITATIS *certe vitium ac*

repre-

reprehensionem effugisset. Sed, quemadmodum NAVITATEM *ac diligentiam recte reprehendere nemo potest, (in laude enim, non in vitio* NAVITAS *ac diligentia ponitur) ita* PROLIXITATEM, *quæ* NAVITATEM *ac diligentiam necessario (id, quod* FUNDITUS *ostendi) consequitur, reprehendere, o* GUMIÆ *o* CLUNIUM AGITATORES, *o* CEREBRA NOCTESCENTIA *non debetis. Sequitur altera Alvari reprehensio de* ACUMINE, *in qua refutanda minus* NAVUS, *quam in superiore de* PROLIXITATE *fui, hoc est, minus* PROLIXUS *ero. Quid miramini,* ACUTIOREM *fuisse Alvarum,* GUMIÆ? *Non fuit ille quidem, qualem fuisse criminamini, sed* SI FORTE ACUTIOR *fuit, qui potestis, noctuæ,* ACUMEN *hominis videre, unde autem* ACUMEN *ipsum extiterit, non videre? Hic quoque vobis, ac cæteris, vestri similibus, palmaris error, qui in vestris* CEREBRIS *miserandum in modum* NOCTESCENTIBUS *penitus ac* FUNDITUS *insedit, est, eripiendus. Non ex ingenii* ACUMINE *doctrina, sed ex doctrina ingenii* ACUMEN *existit. An nondum,* TRANSMARINI HOMINIS, ET MADERÆ NATI, *quid ex eo con-*

 sequi

sequi sit necesse, FUNDITUS *intelligitis? Nempe illud: ut, si forte* ACUTIOR *Alvarus fuit, non aliam ob causam* ACUTIOR *fuerit nisi quòd fuerit* NIMIS DOCTUS, *Quod fuerit autē* NIMIS DOCTUS *potestis ne, vespertiliones, id jure reprehendere? An in eruditione ac literis* NIMIUM *culpari potest? si igitur, ut ex* DOCTRINA ACUTI, *sic ex* NIMIA DOCTRINA ACUTIORES *homines evadunt, desinite aliquando Alvarum* ACUTIOREM, *propterea quod* NIMIS DOCTUM, *hoc est doctissimum, vestra ista* NIMIS NAVA, *hoc est, valde* PROLIXA, *minime* DOCTA, *hoc est, valde hebeti atq; obtusa oratione reprehendere. Quod si facere recusatis, vos vero multam me vobis salutem dicente, aut* ANTICYRAM NAVIGATE, *aut* MARSYÆ, POENAM PERFERTE *aut vosmetipsos ad* RESTIM, *ut minimum, ac suspendium comparate.*

Hactenus inductus est à me Vigilator illorum verborum, quorum certe sententiam, nisi eo explicante, satis assequi nemo posset, interpres, *Nam, si prolixior Alvarus, quia nimis navus, si forte acutior quia nimis doctus (siquidem in eruditione ac litteris nimium culpari possit:)* reliqua jam videa-

deamus, & si possumus, nos ipsi per nos interpretemur: *vel acutissimæ gentis perspicacitati, unde originẽ traxit, vel præceptori olim suo, Leontino scilicet grammaticorũ gnarissimo Gaspari Dragonetto libere tribuendũ.*

Video, te, qui tritas Ciceronianæ orationis genere notando aures habes, ante voces *vel acutissimæ gentis* desiderare hoc loco voculam *id*, aut *utrumq;*, aut aliquid tale, quo *tribuendum* referatur; quin, & ipsi *tribuendum* verbum *est* fuisse adjungendum existimare: nec illa *unde originem traxit*, post *perspicacitati* posita, te probare, atq; ita malle, *Gentis, unde originem traxit, perspicacitati*, ne videatur ridicule dici aliquis non ex *gente*, sed ex *gentis perspicacitate* originem traxisse: neq; satis tibi placere, tam multa adjuncta personæ ante, quam ipsam personam, commemorari; ut propterea dicendum fuerit, non *præceptori olim suo Leontino scilicet grammaticorum gnarissimo, Gaspari Dragonetto*, sed potius *Præceptori olim suo, Gaspari scilicet Dragonetto, Leontino homini, grammaticorum gnarissimo:* in ipso autem *grammaticorum*, tamquam in ambiguo, hærere te; qui nescias, *hominum ne*, qui *grammaticam artem* profiteantur, an *rerum, quæ ad eamdem artem pertineant,* *gna-*

gnarissimus Dragonettus dicatur: deniq; non intelligere quid oportuerit *libertatem* huc advocari, ut *libere* potius, quam *sine dubitatione*, *tribuendum* diceretur: video, inquam, hæc à te omnia minus probari, & sunt certe alia in alio genere, latine scienterq; scribentibus improbanda.

Sed num censes, vitanda hæc fuisse illi homini, aut ullam magnopere exspectandam esse scribendi elegantiam ab eo, qui ita scribere solitus semper est, ut nihil tam vereri videatur, quam ne in Alvari vituperationem illam *nimiæ navitatis*, *nimiæq; doctrinæ* scribens incurrat. Itaq; peccare in contrariam partem, & *parum navus*, *parumq; doctus* in scribendo videri mavult; ne non Horatiano illi pronunciato (Satyra II. v. 24.) sua veritas fidesq; constet:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Ego vero (non dicam, quod ab eo dictum meministi, *minime de præceptis grammaticæ laboro*, aut laborandum puto,) sed certe grammatica verborum peccata, non modo hæc leviora, aut deficientis, aut redundantis, aut perturbatæ, aut ambiguæ, aut inusitatæ orationis, verum etiam illa gravissima soloecismorum, qui dicuntur, & barbarismorum, minus, quam sententiarum,

vitan-

vitanda ac reprehendenda censeo; magisq; mentis, ut ita dicam, atq; cogitationis vitio ac pravitate, quam lingvæ atq; sermonis offendor: nec possum non Lucio illi Crasso apud Ciceronem libro III. *de Oratore* cap. 142. vehementer assentiri dicenti: *Hoc constat, neq; infantiam ejus, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neq; inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam; quorum si alterum, sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem.*

At Vigilator noster aliter sentit: *stultitiam loquacem* mavult. Si dubitas; tu, cui tam multa in paucis illis illius verbis mendosæ loquutionis & *stultæ loquacitatis*, errata displicuerunt, vide, quam multæ mihi delirantium sententiarum & *loquacis* hujus *stultitiæ* in iisdem verbis peccata displiceant. Nonne in prima unius & ejusdem ambitus sive periodi parte *prolixitatis* in Alvaro causam attulerat *nimiam navitatem*, *acuminis* autem *nimiam doctrinam*? Ait enim: *si prolixior Alvarus, quia nimis navus, si forte acutior, quia nimis doctus.* Non igitur stultissimum est, in altero statim membro modo à se dicta quodāmodo retexere ac revocare, & tum *prolixitatem* tum

acumen non jam *nimiæ navitati*, neq; *nimiæ doctrinæ*, sed *vel acutissimæ gentis, unde Alvarus originem traxit, perspicacitati, vel præceptori olim suo Leontino scilicet &c.* esse *libere tribuenda* affirmare?

Cum autem, duo vitia reprehendi in Alvaro *à pædagogis*, posuisset, *prolixitatem* nempe & *acumen*, non alterum deinde alteri causæ tribuit, sed, ut uni eidemq; utrumq; *libere tribuamus*, liberam nobis potestatem facit: *Vel acutissimæ*, inquit, *gentis perspicacitati, vel præceptori olim suo libere tribuendum est.* In quanta heic quoq; stultitia versatur oratio! Fac enim, me, ejusmodi facultate utentem, non *præceptori olim suo*, sed *acutissimæ gentis perspicacitati* Alvari *prolixitatem* & *acumen* velle tribuere: valebit ne tum hæc ratio: *Ideo prolixior & acutior Alvarus fuit, quod ex acutissima, & maxime perspicaci gente originem traxit?* An non, si vel ex maxime hebeti atq; obtusa gente originem ille traxisset, poterat nihilominus, quam qualis, ex acutissima gente originem trahens, fuit, *acutus* atq; adeo acutissimus fuisse? Ut vero *prolixior* esset, quid per Deum immortalem, in origine ex *gente acutissima*, & *maxime perspicaci* vel minimæ causæ esse potuit?

Fac

Fac rursus,me non *acutissimæ gentis perspicacitati* Alvari *prolixitatem* & *acumen*, sed *præceptori olim suo* malle tribuere: hæream, atq; cæcutiam in tam fœda rerum inconsequentia, tantaq; sententiæ obscuritate necesse est, mihiq; ut ait Furius apud A.Gellium Noctium Atticarum libro XVIII. cap. XI.

Omnia noctescent tenebris caliginis atræ, immo non, tam *caliginis atræ*, quam stultitiæ non ferendæ. Quid enim esse potest aut magis stultum; aut minus ferendum, quam aut *acumen* discipuli alicujus, *aut prolixitatem*, qua is, adultus jam factus, in scribendo forte usus sit, præceptori, à quo puerulus Grammaticam doctus, fuerit, assignare? Quid? aliqui ne Grammaticæ præceptores partes orationis non octo, sed decem numerant, & præter consvetas ac receptas, duas etiam illas *acuminis*, & *prolixitatis* discipulos suos docent? Dragonettus quidem *prolixitatem* docere potuit,at non loquendi aut scribendi, sed vivendi, nec voce tamen, sed exemplo: *acumen* vero, homo longissimo intervallo minus *acutus*, quam Nebrissensis, nullo modo.

Age: sana ne sunt illa,ac non potius stultitiæ plenissima, *Gentem, unde Alvarus*

traxit

traxit originem, hoc eſt, Luſitanam (quæ certe Latinis eſt eadem tranſmarina,) *acutiſſimam, & maxime perſpicacem* heic dici, cum paullo ante *tranſmarinis gentibus* uſq; adeo omnis *acuminis* aut *perſpicacitatis* vis fuerit ademta, ut miraculi inſtar, quod *tranſmarinus homo* Alvarus latinam lingvã diſcere & docere potuiſſet, propemodum haberetur?

Hanc rurſus ipſam latinæ lingvæ atq; artis grammaticæ facultatem, quæ in Alvaro, quod *tranſmarinus homo* fuerit, mira ac propemodum incredibilis Vigilatori viſa eſt, non modo non miram, ſed uſitatam & tamquam debitam in Dragonetto, *Leontino* illo *ſcilicet grammaticorum gnariſſimo* qui, nihilominus, quam Alvarus, *tranſmarinus homo* fuit, eidem videri, non ne ſimiliter ſtultiſſimum eſt?

Deniq; Dragonettum ipſum, minime illum quidem, quemadmodum ſupra dicebam Grammaticum, ſed tantummodo Grammatiſtam, nec, niſi primorum artis grammaticæ, ejuſq; non à ſe, ſed à Nebriſſenſe, non ſummo certe Grammatico, compoſitæ, elementorum tota vita ſua, quam longa fuit, prælectorem, ſummis grammaticæ artis doctribus adæquare, & *grammaticorũ*

gna-

gnarissimum magnificentissime, hominemq; eum, qui Alvarum numquam viderit, nec ab Alvaro visus sit umquam, Alvari *præceptorem*, præsertim tam sine ulla hæsitatione tam confidenter tam *libere* appellare, parva ne aut dissimulanda stultitia est? Mihi vero & hæc & superiores tam neq; parvæ neq; ferendæ videntur esse, ut me continere non possim, quin exclamem: O ubi *Anticyra!* o ubi *Marsyæ pœna!* o ubi *minimum restis!* restis, inquam non quidem ad suspendendum (quod absit,) sed *minimum* ad vinciendum.

Jam vero extrema Vigilatoris de Dragonetto verba audiamus.

Quem virum, inquit, *magnum Petrus de Valle in postrema suæ historiæ pagina Romanum Nestorem honorificentissime appellat, quippe qui vicesimum supra sæculum annum ageret, ubi ipse Romam ex longissimis peregrinationibus remigravit.*

Dragonetti laudes augere, addere, accumulare pergit. *Virum magnum* appellat: hoc est, ut ego interpretor, *senem, longævum.* Nam in illo homine nullam magnitudinem, nisi ætatis, fuisse certissimum est. Sed noluit Vigilator unum dumtaxat de Dragonetto, *Alvari præceptore*, somnium obtrudere,

eadem

eadem opera alterum de Dragonetti *magnitudine* obtrusit. Quum enim de Leontino homine, qui non procul ab Ætna natus esset, agere sese animadverteret, bellissimum putavit, si speciem quamdam nobis Cyclopum objiceret; nosq; unum ex illis fuisse Dragonettum crederemus, quos Æneas à se se, ab iisq; qui secum in navibus erant, conspectos, apud Virgilium Æneidos libro III. v. 677. commemorat:

„ Cernimus adstantes nequicquam lumine torvo
„ Ætneos fratres, cœlo capita alta ferentes,
„ Concilium horrendum! quales, cum vertice celso
„ Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
„ Constiterunt, silva alta Jovis, lucusq; Dianæ.

Hunc autem *virum magnum*, aërium, querceum, sive quernum, cyparissinum, vertice celso, cœloq; caput altissimum inferentem non tamen *Siculum Cyclopem*, sed *Romanum Nestorem* à Petro de Valle honorificentissime appellatum, idq; in postrema suæ historiæ pagina Vigilator affirmat. Hoc quoq; ad *viri magni* magnitudinē magnificandā pertinet, sciri videlicet à Petro de Valle *Romanum*

manum Neſtorem Dragonettum appellatum. Vidit id Vigilator, teſtimonium honorificentiſſimum recitavit, & ne quiſquam de ejus fide dubitaret, paginam, ubi id hiſtoricus diceret, indicavit.

Ego in eo, quod hominem tam multos natum annos, *Neſtorem* hiſtoricus appellarit, non majorem honorem Dragonetto tributum puto, quam ſi eum aut Priamum, aut Peliam, aut Arganthonium, aut etiam Mathuſalam appellaſſet: quod autem ſenem, in Sicilia natum, *Romanum* potius, quam *Siculum Neſtorem* appellaſſe dicatur, in eo tu aut aliquod hiſtorici peccatum agnoſcas, aut de aliquo Vigilatoris Somnio ſuſpiceris neceſſe eſt; qui quidem Vigilator, quemadmodum Lucretius libro III. v. 1063. ait,

Et vigilans ſtertit, nec ſomnia cernere ceſſat.

Sæpe tu mecum de Załuſciis iſtis fratribus egiſti; ſæpe mihi de bibliotheca, quam privatis ſuis ſumtibus ædificatam, atq; omni librorum ſupellectili, copiaq; inſtructam, in iſta Varſavienſi urbe publicæ civium utilitati dedicarunt, homines patriæ commodis ornamentoq; nati, narraſti; ſæpe eorum humanitatem, & in ſummis Reipublicæ honoribus, maximoq; familiæ ſplen-

dore atq; opibus, parem facilitatem apud me, cupidissime audientem, & tantæ munificentiæ comitatiq; plaudentem, prædicasti. Utere igitur eorum tanta naturæ, fortunæ, virtutis opportunitate. Operum Petri de Valle, quæ Italicè hoc titulo scripsit *Viaggi di Pietro della Valle*, fac tibi copia ab iis fiat. Ultimam Tomi III. Epistolam, eam ipsam à Vigilatore indicatam, Kalendis sextilibus anni 1626. Romæ datam, quære. In ea fere extrema scriptū reperies: *Prego à V.S. gli anni di questo novello Nestore Siciliano è Romano.* Vides, Siculum senem à Petro de Valle non modo *Romanum* (id quod unum Vigilator somnians affirmavit,) sed quemadmodum veritas, & *prolixe quia naviter* loquentium consvetudo postulabat, primo *Siculum*, nationis respectu, deinde *Romanum* domicilii causa, *Nestorem* appellari.

Sed nondum librum de manibus, mi Christophore, depone: siquidem nondum *stertere*, ac *somnia cernere* Vigilator cessat. Vis tu aliud ejus somnium videre? Superiora illa, à me ipso non longe ab initio hujus epistolæ recitata, in eadem libri pagina legito: *Andai à vedere in dette scuole, dove vive fin dall' anno* 1600. *non Religioso,*

ma

mà in compagnia di quei Religiosi, il P. Gaspare Dragonetti: il quale, con essere di CENTO *QUINDECI ANNI E PIU'* .... *egli è con tuto ciò sano &c.* Annos *amplius quindecim supra centum* natum Dragonettum fuisse tum, cum est à se, ex diuturnis orbis terrarum peregrinationibus reduce, conventus Petrus de Valle dicit. Quid Vigilator? *Quippe qui*, inquit, *VICESIMUM SUPRA SÆCULUM ANNUM AGERET* (Dragonettus,) *ubi ipse* (Petrus de Valle) *ex longissimis peregrinationibus remigravit.* Quod historicus dixit *amplius*, quodque aliquot mensium, vel etiam dierum spatium esse potuisset, hoc non minus, quã quinq; annorum intervallum, Vigilatori visum est. Nonne etiam hoc tibi *Vigilantis*, simulq; *stertentis, nec somnia cernere cessantis* videtur?

Sed qui Dragonettum *magni viri* honorificentissima appellatione honestarat, multo is majorem visum iri existimavit, si totos quinq; annos magnæ *magni viri* ætati addidisset. Voluit, Dragonettum nobis omnino alterum non tam *Nestorem*, quam Arganthonium, eum quem supra nominavi, immo & Arganthonio majorem videri: de quo M. Cato apud Ciceronem in libello *de Senectute* cap. 68. *Fuit*, inquit, *ut Scri-*

ptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos centum & viginti vixit. O *virum magnum* Arganthonium, qui octoginta regnarit annos, centum & viginti vixerit! Sed num non longe *major vir* Dragonettus, qui nonaginta totos annos regnum grammaticum Leontii Romæq; Ælio Antonio Nebrissense collega, obtinuerit, & *cum vicesimum supra sæculum annum, ubi Petrus de Valle Romam ex longissimis peregrinationibus remigravit, ageret,* aliquot præterea annos post illam peregrinatoris remigrationem vixerit? Heic item tantæ rei novitate atq; admirabilitate perculsos exclamare nos justius, aut certe validius voluit, atq; adeo exclamaturos nos esse Vigilator speravit: „ O magnum virum Dragonettum & longe vel ipso Arganthonio majorem, qui plures, quam Arganthonius, annos regnarit, & vixerit? „

Hoc loco mirum tibi videatur necesse est, ecquid homini, sua tam multa somnia de Dragonetto in hac de pòëseos & pòëtarum studio Vigilia venditanti, tantoq; opere fidē iis facere apud vos Polonos conanti, in mentem venerit Petrum de Valle nominare, cujus lectione somnia ipsa sua tam facile de-

pre-

prehendi coarguiq́; poſſe intelligebat. Mihi quoq́;, ut verum fatear, valde id mirum videtur; nec ſatis habeo de re tam nova tamque inuſitata quid aut cenſeam aut dicam, niſi illud: primum haud quamquam pro explorato habendum eſſe, id ipſum ſatis à Vigilatore fuiſſe animadverſum, atq́; ita, ut putamus, intellectum; quem certe videmus non nimis navum ac conſideratum in ſcribendo eſſe ſolere: deinde, propterea eum Petri de Valle nomen atq́;auctoritatem, objeciſſe, ne nullo auctore, quæ tam multa tamq́; incredibilia diceret, dicere videretur: non putaſſe autem,ſe eorum,quæ contra verba ipſa ac teſtimonium Petri de Valle dixiſſet, à Polonis poſſe coargui,quod vos uſq́; adeo *tranſmarinos*, & *Maderæ natos*, & *Scythas* exiſtimaret, ut Petri de Valle non modo litteram nullam in bibliothecis veſtris haberetis, ſed ne nomen quidem fando umquam audiſſetis, ac tantummodo *magnum* eum quemdam *virum*,& auctorem locupletiſſimum, qui Dragonetti temporibus *magni* illius ſcilicet *viri*, ac *Romani Neſtoris*, floruiſſet, credituri eſſetis.

Equidem hac eadem de vobis hominis opinione factum omnino crediderim, ut Scriptorum plane ineptorum ac ridiculo-

rum, nec modo iſtic in Polonia, ſed etiam heic in Italia, ubi ſcripſerunt, ignotorum nomina paſſim in ſuis Vigiliis Vigilator inculcet; eoſq; tamquam eximios quoſdam ac *magnos viros*, & eximiis ac *magnis* quibuſq; *viris* comparandos, vobis, nunc primum, fuiſſe umquam natos, audientibus, & mirantibus atq; obſtupefactis & quodammodo attonitis, ac de veſtra tot tantorumq; ſcriptorum miſerabili ignoratione prope verecundantibus, oſtentet ac venditet.

Ac minime miror, te de quibuſdam eorũ, quos tantopere laudatos vides, nec tamen legiſti, aut vidiſti umquam, neq; vel in ipſa Załuſciana inſtructiſſima bibliotheca diu multumq; quæſitos reperire potuiſti, ex me quæſiſſe, ut à me, qui qualeſq; eſſent, cognoſceres. Ego vero, cui æque ac tibi ignoti erant, neq; in hac ſolitudine Tuſculana Romanarum bibliothecarum librorumq;, præter admodum paucos, copia ac facultas ſuppetebat, neceſſe habui Tuſculum certum hominem ad ædem S. Mariæ RR. Patrum Scholarum Piarum mittere; ubi multos jam annos Tuſculanus quidam *Neſtor*, non *Religioſorum illorum contubernalis*, ut olim *Romanus Neſtor* Dragonettus, ſed *Religioſus* ipſe cum reliquis Religoſis vivit, antiquis mori-

moribꝰ ſvaviſſimiſq;præditꝰ, mihiq;jamdiu cognitus & familiaris. Is igitur à me per eum, quem ad ipſum allegaram, rogatus, ut, ſi quos aut Mauritii Franciſconii, aut Camilli Nicolii, aut cæterorum, de quibus tu ſcire nimirum volebas, libros apud ſe haberet, commodare mihi ad breve tempus ne gravaretur, Franciſconii ad me *Dictionarium* quoddam Lucæ anno 1747. editum, Nicolii autem *Rhetoricas institutiones* Florentiæ anno 1736 vulgatas, confeſtim ac ſane humaniter miſit; addiditq;libellum puſillum quemdam, ita inſcriptum *Avvertimenti grammaticali per chiſcrive in lingva Italiana*, Urbini, ad uſum Collegii Scholarum Piarum Urbinatis, anno 1729. impreſſum; quem, opinor, *Neſtor* meus eſſe quamdam Franciſconiani *Dictionarii* appendicem ac mantiſſam putavit: quibus ut ego libris, quamdiu vellem, arbitratu meo uterer, permittebat; reliquos, quos deſiderarem, non habere ſe, ſed tamen ſedulo conquiſiturum, & vel Roma arceſſiturum, ſiquidē vellem,'e S. PantaleonisBibliotheca dicebat. Verū id ego ſane ut faceret nec volui nec volo, nec volam. Nam mihi negotii ſatis atq; abunde cū tribus hiſce libellis eſt.

Jam tibi quid ſalivam, ut Annejano modo lo-

loquar, moverit, quidve impulerit, ut de Nicolio velles cognoſcere, video. Fuerunt nempe illa Vigilatoris verba pagina 26. hujus ipſius *de Pöëſeos & pöëtarum ſtudio* Vigiliæ: *Id Camillus Nicolius præſtitit pro ſuis viribus quam diligenter, ex Catullo nempe & Martiali & Owieno & Sannazario & Auſonio aliiſq; pluribus tum antiquis tum recentioribus delibando, quæ acriora ſunt & potiora, & quæ tamen de Decemviris non verentur. Si quis autem funditus expiſcari velit, & ſales acuta nare diſcernere &c.*

Noli expectare, dum ego in hæc ipſa verba *pro meis viribus*, quod aliàs *præſtiti, quam diligenter* inquiram, omniaq́; quæ in iis reprehendi poſſent, quam diligentiſſime ac *funditus expiſcer*, aut ſaltem, *quæ acriora ſunt & potiora delibem* & *ſales*, ſive potius inſulſitates, *acuta nare diſcernam*. Numquã à me ut id faciam, extorquebis. Si facerem, *de decemviris*, aut *minimum* de triumviris: iis videlicet, qui capitales dicuntur, *vererer*. Adde quod non id nunc agitur. De Nicolio quærendum eſt.

Atqui ſcito, nequaquam hoc ejus opus, quod Vigilator, *forte acutior*, quia nimis naſutus, *acuta nare* dilaudat, mihi à meo Tuſculano Neſtore eſſe miſſum, & fortaſſe

id

id etiam habuit apud ſe ſenex. Sed, quum ego ab eo Nicolii opera popoſciſſem, homo *acutæ* emunctæq; *naris* non putavit, hanc alienorum verſiculorum collectionem inter Nicolii opera eſſe recenſendam. Aliena enim colligere, non opus, ſed opera eſt.

Sed tamen hanc ipſam operam male videtur poſuiſſe Nicolius, qui antiqua cum recentibus miſcuerit, & Catullum cum Martiale,cum Auſonio,cum Sannazario,cum Owieno etiã,aliiſq;pluribus,recentioribus vel Owieno ipſo deterioribus, conjunxerit, in eo præſertim libello,qui in Scholas inducendus, & adoleſcentulis, ad latinam pòeſim adſpirantibus, tamquam exemplar, proponendus eſſet. Sed hæc omittamus.

De alio Nicolii, quod ad me miſſum eſt, opere, hoc eſt, de ejus *Rhetoricis inſtitutionibus* videamus. Operis hæc eſt inſcriptio: *Camilli Nicolii ex Cler:Reg:Sch:Piarũ Rhetoricæ inſtitutiones ex optimis Latinis,Græciſq; ſcriptoribus quoad præcepta & quoad exempla collectæ atq; illuſtratæ Florentiæ MDCCXXXVI. Typ. Reg. Celſ. Apud Tartinium & Franchium.*

Equidem, etſi in longo aliquo opere dictionem *quoad* cum nominibus,quemadmodum feciſſe Nicolium vides, ſemel, non

certe

certe iterum, conjungere fortasse non dubitarem, tamen ab ejusmodi conjunctione in ipsa alicujus mei operis inscriptione omnino abstinerem. Sed non est ab omnibus eadem in latine scribendo religio ac *navitas* postulanda. Religiosiorem in reliquis ac magis *navum* Nicolium fortasse reperiemus.

Initium nuncupatoriæ ad Clementem XII. Pont. Max. epistolæ hoc est: *Eloquentiæ, artiumq; reliquarum ad animi sensa præclare, erudite, efficienterq; exprimenda, in aliorumq; mentes transfundenda pertinentium, Clemens pontifex maxime, multo sane amplissima est præstantia atq; utilitas apud omnes mortales semper existimata, & tamquam de cœlo oblata & demissa honori habita & religioni &c.*

Quid tibi, Christophore, de tota hac periodo videtur? Mihi quidem in ea quædam displicent, quædam non satis placent. *Eloquentiæ* inquit, *artiumq; reliquarum ad animi sensa præclare .... exprimenda .... pertinentium.* Quæ sunt istæ, præter eloquentiam, *reliquæ artes ad animi sensa præclare exprimenda pertinentes?* Cicero quidem in loco libri I. *de Oratore* cap. 14. (quem locum ipsemet Nicolius in fronte sui operis e regione inscriptionis impressum exhibuit)

uni

uni eloquentiæ cæteras artes, ſiquidem *animi ſenſa præclare* velint *exprimere*, ſubjicit univerſas: Ait enim: *Phyſica & Mathematica, & CÆTERARUM ARTIUM propria, ſcientiæ ſunt eorum, qui illa profitentur: illuſtrare autem oratione ſi quis iſtas ipſas artes velit, ad oratoris ei confugiendum eſt facultatem.*

Quid eſt autem *efficienter exprimere*, aut quæ eſſe poteſt in *exprimendo efficientia*? an, cum *efficaciter* vellet dicere, *efficienter* mentis aberratione dixit? At ne hoc ipſum *efficaciter exprimere* ſatis probarem.

Quid illud *bonori habita*? An *honori*, pro *in honore, habere* ſatis latinum eſt?

Quid, quod ſequitur *& religioni?* Significaram equidem paullo ante, cum, in ipſa operis inſcriptione dictione illa *quoad* offenderer, ſperare me, *religioſiorem* in reliquis Nicolium futurum. Nunc, me in falſa tum ſpe fuiſſe, plane ſentio. Non modo ille *religioſior* non eſt factus, ſed in ipſa *religione*, immo vero in ipſam *religionem* peccavit. Quid *Religioni habere* quid Latini dicant, quidq; utraq; ea dictione ſignificent, Rhetoricus noſter Inſtitutor ignoravit? At facile vel ex illo Ciceronis loco puerulis ipſis, qui in grammaticis inſtituuntur, notiſſi-

tiſſimo, in libro de Officiis II. Cap. 51. id diſcere potuiſſet: *Nec tamen, ut hoc fugiendum eſt, ita habendum eſt religioni contrarium, nocentem aliquando defendere.* Miſeram atq; infelicem eloquentiam, ſiquidem *religioni apud mortales* aut habita umquam fuiſſet aut nunc eſſet *habenda!* Sacerrumas ac diris omnibus devovendas Nicolii *Rhetoricas inſtitutiones*, quibus artem, *religioni* aut *habitam* aut *habendam*, ſe traditurum profiteatur! *Religioni* certe *habere* ipſe debuiſſet eas Pontifici maximo, Sacrorum atq; omnium Religionum antiſtiti, dare, dicare, conſecrare.

Sed ſatis in Nicolii ad ſuum Mecœnatem epiſtola verſati ſumus; ex cujus una, eaq; prima, periodo, quantum ſit huic Rhetorices inſtitutori in *animi ſenſis præclare exprimendis, in aliorumq; mentes transfundendis* religionis abunde intelleximus. Primam item aut alteram inſequentis ad adoleſcentem in Rhetoricis inſtituendum epiſtolæ periodum videamus: ſi forte religioſiorem in ea deprehendere poſſimus.

Noviſſimus, inquit, *omnium quod prodeo, vel quidem certe poſt tantam Rhetorum copiam, ne inſigni prodeam incommodo, non mediocriter, Adoleſcens optime vereor* (& ego,

ego, pater optime:) *si autem quid mihi proposuerim, quid præstiterim non gravate advertas, locum aliquem inter præceptores post tantos præceptivos eloquentiæ Patres & mihi te concessurum sperare videor.*

Quidni nos etiã *aliquem post tantos præceptivo eloquentiæ Patri locum,* non dicam *concedamus,* sed *concedere videamur:* quandoquidem id ille non *sperat,* sed sibi dumtaxat *sperare videtur?* Videamur sane illi quoq; aliquem locum inter *tantos præceptivos Patres* concedere; sed ita, si quid ille in hoc opere *præstiterit* (quod nos ut *non gravate advertamus,* rogat) ante viderimus. Nisi enim bonum, aut saltem, quantum ipse de *insigni incommodo novissimus omnium quod prodeat, vereri* se dicit, *non mediocrem eloquentiæ præceptivum patrem* nobis eum esse constiterit, valde nos vereremur, atq; adeo religioni haberemus locum ei ullum inter *tantos, præceptivos eloquentiæ patres* videri concedere, *Non gravate* igitur *quid præstiterit advertamus.*

Et, quoniam universum opus penitus considerare & *funditus expiscari* non possumus, uno aliquo loco, qui temere aperientibus librum se primus obtulerit, contenti simus. Bene est, Incidi in libri primi

caput

caput tertium, quod ſic inſcribitur: *Veteres Græci ac Latini Principes Oratores in certas ætates diſtributi, eorumq; laus.* Nihil mihi optatius aut ſtudiis profeſſioniq; meæ (ſum enim, quod non ignoras, in Collegio Romano *præceptivus* Græcæ lingvæ *Pater*) accommodatius poterat contingere, quam ut de Græcis oratoribus, iiſq; principibus, cognoſcendi hanc opportunitatem facultatemq; nanciſcerer. De iis in primis tribus capitis ſectionibus agitur, tum in reliquis ad Latinos venitur. Tres igitur primas ſine mora ac ſedulo inſpiciamus.

Atq; ea quidem, quæ prima & ſecunda ſectione continentur, nota mihi jampridem erant; & ſunt certe trita ac pervulgata, nec aliud quidquam, *ſi verum perplacet*, niſi *crambem recoctam* ſapiunt. At vero, quæ in tertia video, ea mihi ſane magnam novitatis ſpeciem præ ſe ferre, ea neq; vulgata neq; vulgaria eſſe, ea *crambem* à nemine umquam antea *coctam* redolere omnino videntur. *Labi deinde*, inquit, *cepit Græca vis* (Quam me *Græcæ* hujus *vis, labi incipientis*, miſeret!) *Succeſſit enim eis ſenibus Demetrius Phalereus* .... *Poſt Phalereũ viſa tacere tum Græcia* (Nempe *lapſa* jam *Græca vis* erat ejuſq; lapſum illum *taciturnitas*

nitas

nitas tum consequuta est.) *Plures tamen consecutis temporibus Oratores vidit* (Ita enim post *lapsam Græcam vim* Græcia *tacuerat*, ut oculos tamen & *videndi* vim non amiserit.) *A Christo nato sæculo primo exeunte Dio ex Prusia Bithiniæ urbe Prusiensis* (Satis intellexeramus, fuisse *Prusiensem*, siquidem fuisset *ex Prusia*. Sed neq; ex *Prusia* ille, sed ex *Prusa*, neq; *Prusiensis* fuit, sed *Prusæus*) .... *Sæculo altero Justinus* .... *Clemens Alexandrinus* .... *Origenes: tertio sæculo floruere Cyprianus Carthaginensis Episcopus & Irenæus, singulari prior ille eloquentia* .... *Hos quidem edit Græcia Oratores.*

O *singularem* non tam Cypriani, *Carthaginensis Episcopi, eloquentiam*, quam Nicolii, *præceptivi eloquentiæ Patris*, eruditionem! Quid enim illi jam locũ, quem & *sibi post tantos præceptivos eloquentiæ Patres sperare videbatur* nos esse *concessuros*, non concedamus? An non *quia* in hoc uno universi operis capite *præstiterit* satis *advertimus*? Plus ille certe, quam quantum sibi *proposuerat* nobisq; promiserat, aut exigere nos ab eo atq; exspectare deberemus, *præstitit*. *Veteres se Græcos principes oratores, in certas ætates distributos*, exhibiturum nobis

nobis in hoc capite, *laudaturumq́;* receperat, quumq́; nos iis *Græcis principibus Oratoribus*, qui & Græci fuissent, & Græce scripsissent, contenti esse possemus; quid ille *præstitit*, ac tamquam auctarium adjecit? Cyprianum nobis, Carthaginensium Antistitem, qui nec Græcus fuit, sed Africanus, nec Græce scripsit, sed Latine, inter *Græcos principes Oratores* recensuit. Et ne forte, aut Cyprianum numquam à se lectū, aut in Cypriano legendo non satis à se *Græcam* illam *vim*, prius *lapsam*, deinde *taciturnam*, ad extremum *videntem*, intellectam, & *animi sensorum efficientem expressionem* perceptam suspicaremur; Cyprianum cum Irenæo, qui eodem sæculo floruisset, veluti inducta comparatione composuit; & majorem Græcæ eloquentiæ laudem Cypriano, quam Irenæo sua sententia detulit. Nihil dicendum est amplius. Aut enim hoc ad Nicolium cognoscendum, Nicoliiq́; *Rhetoricas institutiones* æstimandas satis esse debet, aut nihil esse satis in rebus humanis potest.

Ad Franciscoṅium, *præceptivum* latinarum dictionum *Patrem*, transeamus. Digniorem fortasse hunc reperiemus, qui veluti *magnus* quidam *vir*, atq́; alter plane

Dra-

Dragonettus à Vigilatore vobis Polonis in Vigilia De arte Critica pag: 11. commendaretur his verbis: *Virgilius ipse, & Manilius, & Lucanus, & Florus, quam multa in locorum descriptione peccarunt! eadem lexicorum herculea volumina, in quibus puri putiq; sermonis thesaurus, veluti in quodam latinitatis promo reconditur, quot demum barbarismis affluunt! quot rerum monstris & vocabulorum illuvie sordent! ut gratias grateſq; maximas debeamus Doleto, Schotto, Nizolio, Stephano, Francisconio, Facciolato aliisq; pluribus, qui in hoc Augeæ stabulum repurgandum tam laboriose, tam sedulo incubuerunt.*

O rem, mi Christophore, difficilem (id, quod etiam supra querebar) aliquid ex his Vigiliis describere, & non aliquid in iis, quæ descripta sunt, adnotare! en ego, qui ad Francisconiani *herculeum volumen* contento studio properabam, ac tantummodo Vigilatoris testimonium de *herculea* Francisconii præstantia tibi, si forte non satis meminisses, recitare cogitabam, cogor heic, eo recitato, invitus insistere, &, quæ mihi de *herculeo volumine* dicenda erant, premere nunc ac reticere, atq; in aliud tempus, ut ante, quæ sine adnotatione præteriri

F non

non possunt, dicam, rejicere. Sed necessitati parendum est. Feramus igitur non iniquo animo hanc moram; quæ ne admodum diuturna sit, non omnia, sed pauca quædã, eaq; non multis verbis adnotando, curabo.

Ac primum scire velim, ii, qui tam multi *incubuisse* dicuntur *in hoc Augeæ stabulum repurgandum*, repurgarint ne illud, an non? Si etiam: quid queritur Vigilator, *lexicorum herculea volumina* adhuc *barbarismis affluere*, & *rerum monstris* ac *vocabulorum illuvie sordere?* Si autem non repurgarunt: quid ait, *maximas* à nobis *gratias grateśq;* *deberi* iis, qui *herculea* eadem *volumina*, tam multis *barbarismis affluentia*, tam multis *rerum monstris*, & *vocabulorum illuvie sordescentia*, nobis reliquerunt? Quid est, quæso, aut stulte de rebus queri, aut inepte de hominibus prædicare, si hoc non est?

Sed, qui tot adhuc *barbarismos*, tot *monstra*, tantam *illuviem*, tantasq; *sordes* in *lexicorum herculeis voluminibus* deprehendit, cur non ipse ad hoc tam inquinatum *stabulũ repurgandum* (quandoquidem alios tam *laboriose*, tam *sedulo incumbentes*, conatus resq; ipsa defecit,) cur non ipse inquam, in tam præclarum facinus Vigilator *incumbit?* Si *herculeorum voluminum barbarismos*,

mon-

monſtra, illuviem, ſordesq; novit (& profecto novit; ſiquidem iis tam vehementer offendi eum, angi, diſcruciari, mærere ac prope contabeſcere videmus,) non erit certe herculeus illi, ſed vix Jolejus labor, animadverſas à ſe in hoc *ſtabulo,* ſibiq; cognitas labes eluere. neq; enim illi nunc, ut olim Herculi, Alphei fluminis totis, aquis quas è ſuo veteri curſu detortas, novoq; alveo derivatas, in *ſtabulum repurgandum* immittat, ſed paucis aliquot atramenti ſcriptorii guttulis opus erit, quibus notiſſimas ſibi *herculeorum voluminum* mendas expungat ac tollat. Feciſſent id certe ante ipſum alii, qui *tam laborioſe tamq; ſedulo* in idem expurgandi hujus *ſtabuli* opus *incubuerunt.* Sed profecto homines, quibus fortaſſe *cerebrum* identidem *nocteſcebat,* tam multos illos *barbariſmos,* tot illa *monſtra,* tantam *illuviem* tantaſq; *ſordes,* quibus adhuc *herculea volumina* ſcatent ac deturpantur, non viderunt. nam, ſi vidiſſent, quantuli *laboris,* quantulæq; *ſedulitatis* fuerat, obelis dumtaxat adhibitis, tantam, tam diuturnam, tam non ferendam *herculeorum voluminum* fœditatem removere?

Hæc igitur tota *repurgandi* hujus *ſtabuli* provincia Vigilatori vacat, atq; relicta eſt;

 immo

immo non relicta, sed illi, qui eam unus pro dignitate atq; hominum exspectatione, è req; Litteratorum publica, sustinere ac conficere potest, prope divinitus oblata. Intendat igitur animum, rem suscipiat, in id *sedulò incumbat sordes acuta nare discernat, repurget* hoc nobis aliquando *Augeæ stabulum.* nam nos quoq; tantos in eo stercoris acervos, tantamq; teterrimi vim odoris diutius ferre non possumus. Habet ingenium ac *cerebrum* minime *noctescens, Romanæ dictionis vim tantam & penitissimam* jam pridem *assequutus* est, quam, si quis alius, *exponere funditus* potest abundat otio; quod etiam illi *Sarmaticæ noctes*, æquinoctiali jam exacto die longiores factæ, largius atq; commodius suppeditabunt. Non multis istarum *noctium vigiliis herculeum* nobis aliquod *volumen* (quod multo avidius, quam aut *de arte critica*, aut *de pòëseos & pòëtarum studio*, aut de aliis rebus, quas in præteritis vigiliis tractavit, declamationes suas expetimus) *funditus* elucubrabit.

Et, ne opellam nos nostram pro viribus non contulisse in opus tam egregium atq; utile, aut, qui suscipiendi laboris atq; molestiæ auctores illi fuerimus, nullum ipsi laborem nullamq; molestiam ejus relevandi

di causa suscipere voluisse videamur, *barbarismos* illi quosdam, quædam *monstra*, quamdam *illuviem*, quasdamq; sordes, quas in *lexicorum herculeis voluminibus* adhuc hærere non quidem certo affirmamus, sed certe non temere suspicamur (siquidem eas quidam vel *acutissimæ naris* Critici in ipsis *de arte critica* lucubrationibus suis non *discreverunt*,) in nova hujus *stabuli repurgatione*, quam ab eo exspectamus, eluendas indicabimus. Eæ sunt octo:

1. vox *eadem* adhibita de re, quæ antea neq; dicta, neq; significata fuerit, pro *ipsa*, sive, ad *efficientius exprimendum*, pro *vel ipsa*.

2. *lexicorum*. Cavendum est, ne in latino novo glossario locus huic *lexicorum* dictioni non latinæ relinquatur.

3. *herculea volumina*. Hoc jam non è *sordium*, sed ex *monstrorum* genere est. Quid est *herculeum volumen*? Video quid illi critici, qui ita loquuti sunt, in hac mirifica loquendi ratione spectarint. Sed illud etiam video, vidisse eos in eo ipso parum acute. In ejusmodi enim *voluminum* tollendis, quæ insunt, mendis susceptus labor *herculeus* dici non inepte potest; *volumina* vero ipsa *herculea* dici non nisi ineptissime ac plane absurde possunt.

 4.

4. *in quibus puri putiq́; sermonis thesaurus.* Primum, *purum putum* Latini, nulla conjunctionis particula interjecta dixerunt. Deinde quid est *purus putusq́; sermo?* Certe non aliud, nisi *simplex merusq́; sermo*, hoc est, *sermo qui non sit ulla alia re, quæ sermo non sit, admistus.* quemadmodum *purum putum argentum* illud dicimus, quod ita igne excoctum atq́; purgatum est, ut scoria, omniq́; alterius materiæ, quæ argentum non sit, admistione deperdita, non nisi simplex ac merum argentum relinquatur. Idemq́; de plumbo, immo de impurissimis ac sordidissimis quibusq́; rebus possumus latine atq́; usitate dicere: ut, si quis certa quorumdam criticorum volumina non *Augeæ stabulum*, sed *PURUM PUTUM Augeæ stabuli STERCUS* appellaret. Non est igitur *purum putum* per se ipsum in laude, nisi sit res, quæ *pura puta* dicitur, per se ipsa laudabilis. Jam in ipso *sermone*, nisi is ad certum aliquod sermonis genus revocetur, quæ laus esse potest? Fac, esse barbarum, erit tum is nempe *sermo*; sed erit hujus *sermonis* ipsius, diceturq́; *pura puta barbaries.* Non igitur latinæ, incorruptæ elegantesq́; dictiones, quæ in *herculeis voluminibus* tamquam *thesaurus* reconduntur, *puri putiq́; sermonis*

nomi-

nomine atq; appellatione ſatis latine ſignificatur: ſiquidem, etiamſi non latinæ, non incorruptæ, non elegantes,ſed barbaræ, ſed vitioſæ, ſed perverſæ in iiſdem voluminibus *reconderentur*, nihilo minus in iis PURUS PUTUSQUE SERMO,hoc eſt,merus ac verus ſermo, *recondi* diceretur.

5. *in quodam latinitatis promo reconditur.* Quid reconditur? Nempe *theſaurus ſermonis*. Cujus *ſermonis?* Latiui ſcilicet. Hoc igitur dicetur, *theſaurum ſermonis latini*, hoc eſt, latinitatis, *in quodam latinitatis*, hoc eſt, ſermonis latini, *promo recondi*. Non ne hæc etiam *monſtra* ſunt?

6. *promo.* Latinis quid eſt *promus*? Is,qui è promtuaria, ſive penaria cella, quæ in ea ſervantur, in uſus domeſticos promit, Italis *il diſpenſiere*. In ejuſmodi igitur homine *theſaurum latini ſermonis*, qui in *herculeis voluminibus reconditur*, dici *recondi* nonne multo *monſtroſiſſimum* eſt? Si in ipſa penaria cella theſaurus ille *reconditus* diceretur, fortaſſe ferremus (fortaſſe, inquam; nam certe *recondendo theſauro* non ſatis aptus locus cella penaria eſt:) ſed in homine, penariæ cellæ præpoſito *reconditum* dici quis ferat?

At *promum* non pro homine penariæ cellæ præpositó, sed pro ipsa penaria cella Critici illi, de quibus dicebam, usurpant. Scio: & eorum quemdam in Vigilia quadam *de arte critica* pag. 19. ita scripsisse etiam video: *Ut nobis sapientiæ promus parari possit*. Sed hoc ipsum monstrosum, atq; adeo *purum putum monstrum* est, *promum* pro *penaria cella*, aut etiam pro ipso *penu* usurpari.

7. *rerum monstris & vocabulorum illuvie sordent*. An non etiam *rerum monstris sordere*, & *monstrosum* & *sordidum* & *illuviei* plenissimum est? ecquid enim *monstris* cum *sordibus* est commune?

8. *ut gratias gratesq; maximas debeamus*. Quid! hæc *pura puta* munditia atq; elegantia est? non *monstrum*, non *sordes*, non *illuvies*? *GRATIAS GRATESQUE debeamus*. An non satis est *gratias* deberi? Qui non modo *gratias*, sed etiam *grates* debet, numquid amplius, quam *gratias* debet? Cui autem *grates* debentur, numquid etiam *gratiæ*, præter *grates*, debentur? An non *gratiæ* in *gratibus*, & *grates* in *gratiis* insunt? Quis sic loquutus est umquam, ut diceret, *gladium* à se atq; *ensem* deberi? Nempe non aliud est *gladius*, quam *ensis*. An

igitur

igitur ignoramus, *gratias* nihil aliud esse, quam *grates?*

Hos igitur quorumdam Criticorum hominum *barbarismos*, hæc *monstra*, hanc *illuviem*, has *sordes*, si forte eorum aliquid inesse adhuc atq; hærere in *lexicorum herculeis voluminibus* Vigilator animadverterit, *maximas* illi *gratias*, &, si volet, etiam *grates* debebimus, si in sua, quam ab eo, quemadmodum supra dicebam, expetimus atq; expectamus, hujus *Augeæ stabuli repurgatione*, una cum reliquis eorumdem voluminum *barbarismis*, *monstris*, *illuvie*, *sordibusq;*, sustulerit. Et faciet profecto. Nemo est enim illo in his *acuta nare discernendis* sagacior, nemo ejusmodi fœditatibus studio & voluntate infensior, nemo naturæ ipsius habitu alienior: quem scimus, in barbarismum vel potius in barbarismi simulacrum aliquando incidentem, animi deliquium & valde periculosam spiritus interclusionem esse passum. Rem ipsemet gravibus sane ac prope tragicis verbis in hac ipsa *de arte critica* Vigilia, continuo post superiora illa de *lexicorum herculeis voluminibus* à nobis allata ejus verba, commemorat: quam ego eamdem.

Quamquam animus meminisse horret, luctuq; refugit, de-

describam heic tibi, mi Christophore, totidem verbis, perpetuaq; Vigilatoris oratione usus, nihil de meo, contra quam facere solitus sum interjiciens aut adnotans; describam, inquam, quo certiore in spe sis, habituros nos ab eo egregiam atq;absolutam *Augeæ stabuli repurgationem.*

Neq; tamen hic finis, inquit, *malorum est. Criticos ipsos non semel dormitavisse quis crederet? Laurentium Vallam, ut unum eorum nominem, qui sibi regnum in literis posuerunt, legebam nuper curiosius, tum propter viri famam plane non vulgarem, tum propter egregiam anomaliarum, quas expedit, discussionem, quamobrem emunctæ naris viris tantopere commendatur. Ecce tibi, dum lego, incurrit in oculos vox illa, jam omnium, qui latine sciunt, calamo expuncta* CONCIVIS. *Hæreo paulisper* ANXIUS *neq; enim illico persvadere mihi poteram, hallucinatum fuisse Vallam, cui tantum in æstimandis verborum sensibus & proprietatibus eruditi omnes deferunt. Verum* POST LONGAM ET PERTURBATAM RESPIRATIONEM, *lecta semel atq; iterum doctissimi cæteroquin hominis nota; atq; mirabundus mecum, Valla inconsulte & misere in hoc vocabulo cespitavit, nec elegantiæ*

tiæ florem decerpsit, sed insolens & perabsurdum verbum semisomnis & oscitans eructavit. O vere miseram studiorum nostrorum calamitatem! At iis etiam timere, qui sese duces & præcursores ad sapientiæ adyta properantibus præbent. Hactenus Vigilator.

Atqui vox illa *Concivis* minime *jam omnium, qui latine sciunt, calamo expuncta* est; minime *in ea usurpanda hallucinatus est Valla*; non *inconsulte & misere in hoc vocabulo cespitavit*, non *insolens & perabsurdum verbum semisomnis & oscitans eructavit*: sed id verbum adhibuit, quod sive Sex. Julius Frontinus (qui inter Latinos ætatis argenteæ scriptores ab iis, *qui latine sciunt*, neq; *cespitant*, neq; *verba insolentia & perabsurda semisomnes & oscitantes eructant*, jure ac merito recensetur,) sive alius quis, ejus æqualis, qui sub Sex. Julii Frontini nomine circumfertur, in libello *de limitibus* tot jam ante Vallam sæculis adhibuerat, ut Davidice cum Vigilatore loquar, *eructaverat*. Sed non id agitur. Illud modo propositum nobis est, ut delicatissimum hominis latinissimi *barbarismorum* similiumq; latinæ orationis *monstrorum sordiumq;* fastidium norimus atq; admiremur; qui in latinam quidem dictionem, sed quam per im-

imprudentiam, & casu nescio quo misero fataliq; latinam esse ignorabat, incidens, occursu illo ipso, ac primo statim adspectu,

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem pressit,

hæserit, expalluerit, cohorruerit, prope exanimatus conciderit, ac tantum vitam *in longa ac perturbata respiratione* non amiserit. Quid hunc, si, inter *Augeæ stabulum repurgandum* in vere *barbaras*, minimeq; latinas dictiones inciderit, facturum arbitramur? putamusne, illum (modo adspectum forti animo, validoq; stomacho, quod quidem sperandum est, ferre ac pati possit) conquiescere diutius ejusmodi *monstra*, cubare, stabulari passurum? non ea excitaturum, abacturum, fugaturum, & mirificæ facultatis suæ tamquam clava extincturum? non deniq; effecturum, ut *herculeum lexici sui volumen* nullis *barbarismis* jam *affluat*, nullis *monstris* nulla nobis *illuvie sordescat?* Nos interea, dum novus hic Hercules ad tam gloriosam expeditionem se comparat, ad *herculeum* Francisconiani *lexici volumen*, à quo paullisper, sed prope necessario recessimus; revertamur; cujus titulum habeto:

Di-

Dizionario Italiano e Latino, raccolto dal Molto Reverendo Padre Maurizio Franceſconi, Cherico Regolare delle Scuole Pie, arricchito di tutte le voci, che ſono negli altri Vocabulari, e ſpecialmente in quello dell' Accademia della Cruſca: dei Caſi, che ciaſcun Verbo e Nome richiede, e dell' aggiunta delle brevi e lunghe ſopra le ſillabe dubbioſe alla pronunzia, e di tutto ciò, che ſi poſſa in eſſo deſiderare. Seconda impreſſione riviſta, e corretta. In Lucca MDCCXLVII. Per Salvatore, e Gian. Domenico Mareſcandoli. Con licenza de' Superiori.

Hic quidem titulus magnam fortaſſe Operis expectationem Italis puerulis, latinam lingvam diſcere incipientibus, concitare poteſt; viros vero, aut etiam adoleſcentes, Stephani Doleti, Alexandri Scoti, Marii Nizolii, Roberti Stephani, Jacobi Facciolati gloſſariis aſſvetos, quid habet, quod poſſit allicere? Singulis ne verbis ac nominibus appoſiti, quos poſtulant, caſus allicient? (Quamquã *nominum* quidem, non *caſus, quos poſtulant*, ſed *declinationes* ac *genera* cujuſq; promittenda in titulo fuerant.) an quibuſdam ſyllabis inſcriptæ ſive brevium ſive longarum notæ! an ejuſmodi aliæ tirunculorum rudiorumq; miſerabiles admonitiones?

Quid

Quid esse potest huic Operi cum Doleti, cum Scoti, cum Nizolii,cum Stephani,cum Facciolati Operibus ita commune, ut puerilis atq; levissimi auctoris Francisconii nomen tantis nominibus à Vigilatore inseri non sit illis ipsis doctissimis gravissimisq; auctoribus valde pudendum? At,quam accurate puerilia hæc ipsa, quamq; ad latinam puerorum institutionem accomodate *Admodum Reverendus Pater Mauritius Francisconius* utiliterq; tractarit, videndum est. Id ex prima dumtaxat totius Operis adversa pagella satis, opinor, intelligemus. Novus huic titulus inscribitur, atq; hujusmodi

Dizionario Volgare e Latino per uso delle Scuole Pie.

Bono sit animo auctor; nec vereatur, ne ullæ aliæ Scholæ suo *Dictionario* sint usuræ, præter eas, quas eo uti ipse voluit, Numquam adducentur aliarum Scholarum magistri, ut libro, ad corrumpendam perdendamq; latinitatem unice facto ac comparato, eos, quos in latina lingva erudire voluerint,uti sinant: quum præsertim sua ipsis *Dictionaria* non desint, à peritis hominibus conscripta, & jam pridem ubiq; vulgata: non illa quidem omnibus numeris absolu-

ſoluta, ſed multo certe, quam Franciſconianum hoc eſt caſtigatiora, neq; tot tantiſq; monſtris ac ſordibus redundantia. Carolus quidem Mandoſius S. J. Romanus (ut alios omittam) ſuum, ſatis illud quidem bonum ac probandum, concinnavit; quod mihi Prati in urbe Etruriæ, quum ante annos amplius tres & viginti eo me, ubi ille commorabatur, contuliſſem, manu ſua ſcriptum oſtendit, meamq; de eo ſententiam requiſivit. Ac memini, cum verbo *allatro* in prima ipſa Operis pagina, e regione, Italici verbi *abbajare*, uſitatam in ſecunda ſyllaba brevium notam inſcripſiſſet, dicere me ac monere, non ita id certum eſſe, ut non multi (inter quos Gerardus Joannes Voſſius in *Ariſtarcho*) ſemper produci eam ſyllabam debere contenderent, atq; illum, arrepto tum calamo, ita locum continuo mutare, ut ex *allatro* faceret *allatrare*; ne quidquam de mediæ illius ſyllabæ quantitate monere pronunciaturos cogeretur. Auctor vero illi vehementer fui, ut librum ederet. quod ille haud ita multo poſt fecit Venetiis apud Balleonium. cujus libri alteram, aut fortaſſe etiam tertiam, editionem idem Balleonius anno 1736. ibidem inſtauravit. At neq; in hac, neq; in

alia

alia ulla ex iis,quæ vivente auctore prodierunt,nomen apparere ſuū Mandoſius voluit, hac operis ſimplici aptaq; inſcriptione contentus: *Nuovo vocabulario Italiano-Latino per uſo delle Scuole di Grammatica*: plura in ipſo Opere (contra quam quidam magni, ſed fallaces promiſſiores faciunt, qui in titulo pollicentur Dictionarium *arricchito ai tutte le voci, che ſono negli altri Vocabolari, e di tutto ciò, che ſi poſſa in eſſo deſiderare*, deinde vero in ipſo Opere multa, immo plurima, in omni genere deſiderari patiuntur) re ipſa præſtiturus, quam quantum polliceri in ipſa operis fronte viſus eſſet. Ut enim erat homo doctiſſimus,& magnis quibuſq; Operibus in omni litteraturæ genere efficiendis par. non tam modeſtiæ cauſa nomen ſuum occultabat, quam, ne nominis ſui famam ex tam tenui re voluiſſe quærere videretur,pertimeſcebat. Hoc profecto Mandoſianum *Dictionarium* Franciſconius non viderat; nam ſi vidiſſet, aut à ſuo ſive ſcribendo, ſive vulgando abſtinuiſſet, aut ita totum ad uſus tum ſuarum Scholarum compilaſſet (quod alii in aliis libris non ſemel feceruut, & in ipſa Franciſconiana *Mantiſſa* fuiſſe factum infra videbimus, ut Mandoſii *Dictionarium* jam

non

non Mandosianum, sed Franciſconianum haberemus.

Sed ad verum atq; legitimum *Admodum Reverendi Patris Mauritii Franciſconii* redeamus: in cujus secunda illa, de qua dicebam, inſcriptione hoc diſplicet, quod, quum in priore ſatis apte dictum eſſet *Dizionario Italiano e Latino* in hac altera ſatis inepte *Dizionario Volgare dicatur e Latino*: Dictione enim hac *Volgare* non modo Italica lingva, ſed omnes, quibus omnium gentium vulgus utitur, ſignificari ſolent.

Pandite nunc Helicona, Deæ &c.
.... *Hanc etiam Mecœnas, adſpice partem.*
Admiranda tibi VOCUM ſpectacula pandam.

1. „A Prima lettera dell' Alfabeto; chiamata da Cic. lettera di aſſoluzione.
„A, Propoſizione del dattivo, e acc.
„Abacuch Profeta) Abacuch, indec.
„a bacio, a tramontana) ad aquilonem.
„a bada, tardamente) cunctancter adv.

Hiſce quinq; dictionibus Franciſconiani *lexici herculeum volumen* inchoatur. Utinam non in ipſo initio & *barbariſmis affluat*, & *rerum monſtris* ac *vocabulorum illuvie ſordeat!* Sed nihil horum verendum eſt. Monuit enim nos Vigilator Franciſconium

 poſt

post Doletum, Schottum, Nizolium, Stephanum, ante autem Facciolatum, *in augeæ stabulum repurgandum tam laboriose, tam sedulo incubuisse, ut illi gratias grates*q*, maximas debeamus*. Sit ita sane. Dictiones tamen illas quinq; ordine quamq; suo consideremus.

Ac primum quæro, quibus hæc hominibus, quosq; in usus scribantur? Scribuntur nempe Italis pueris, Latine nescientibus,ut, siquando Italica *præceptivorum* Scholarum Piarum *Patrum* dictata reddere latina velint, habeant, quo confugiant, atq; unde latinas voces, Italicis respondentes, petant: idq; disertis verbis libri ipse titulus profitetur, *Dizionario Italiano*, sive *Volgare, e Latino*. Quo igitur priora duo de *A* capita pertinent? quid in iis latinum, Italicis respondet? Nihil. Qua igitur re Itali pueri, quo modo Italicum *A* reddere latine debeat ignorantis, ac propterea Francisconiani *lexici herculeum volumen* sedulo atq; anxie consulentis, studium atq; eruditio adjuvabitur?

At docetur Italus puer, qui Latinus fieri vult, *A primam alphabeti esse litteram.* Neq; hoc ille quærebat, prima esset, nec ne; & primam esse antequam *lexici herculeum volumen*

volumen ſibi pararet. præclare ſciebat enim jam tum, cum primum legere pæne infans doctus eſt.

Sed pergat porro, reliqua illius capitis percurrat; aliquid ſibi, ac fortaſſe etiam aliis ignotum reperiet, de quo doceatur. Quid ſequitur? Illud nempe: *chiamata da Cic.* Heic enimvero puerulo meo *cerebellū* miſero *noctescit*. Quid eſt, inquit, *Cic.?* an eſt id ipſum, quod quærebam, latina nempe vox, quæ reſpondeat Italicæ *A?* An eſt potius Lemuris alicujus hoc nomen? Hei mihi miſero! *Cic.!* Mater, ubi es? heu me perditum, mater! propera, niſi accurris illico, invadit me *Cic.* atq; abripit in antrum infernum ſuum. Propera, propera, inquam, abripior.

Sed ſinamus, puerum cum ſuo Lemure luctari. Aliquid nos viri ab *Admodum Reverendo Patre Mauritio Franciſconio* diſcamus. Hoc enim loco non pueros ille latinas dictiunculas, ſed viros Romanam Eruditionem, & interiores reconditioreſq; litteras docet. Docet litteram *A abſolutionis litteram* à Cicerone appellari. At nuſquam eam litteram ſic appellavit Cicero. Quid refert? Sic eam à Cicerone appellari *Admodum Reverendus Pater* nos docet.

 Nul-

Nullone igitur nomine appellavit eam usquam Cicero? Appellavit ille quidem, sed non *absolutionis*, verum *salutarem:* idq; in oratione *pro Milone* cap. 16. Ait enim: *Quod nisi vidisset* (Pompejus) *posse absolvi eum, qui fateretur, neq; quæri umquam jussisset, nec vobis tam SALUTAREM hanc in judicando litteram, quam illam tristem dedisset.*

At ideo *salutarem* appellavit eam Cicero, quia erat *absolutionis.*

Hoc nempe est dare atq; concedere, Ciceronem non appellasse eam quidem *absolutionis* litteram, quod ego dicebam, ac tantummodo hoc contendere, eum potuisse eamdem *absolutionis litteram* appellare, quod nemo negat. Fuisse *A* in tabellis judicum *absolutionis*, quemadmodum *C* fuisse condemnationis *litteram*, sive, ut castigatius loquamur, *notam*, non modo ex hoc Ciceronis, sed ex aliis etiam veterum Scriptorum locis intelligimus. At certe idem Cicero neq; hoc, neq; alio suorum operum loco aut Litteram *A litteram absolutionis*, sed *salutarem*, neq; litteram *C*, *litteram condemnationis*, sed *tristem* appellavit. Sed jam ad secundam *herculei voluminis Admodum Reverendi Patris* dictionem considerandam veniamus.

II.

II. „ A. propoſizione del dattivo; e acc. „

Dixeramus, in duabus primis hujus *Dictionarii*, quod *Italiano*, ſive *Volgare e Latino* inſcriptum eſt, dictionibus, nihil latini doceri Italum puerum, qui tamen non niſi ut latinam dictionem, Italice *A* reſpondentem, doceretur, *Dictionarium Italicum & Latinum* in manus ſumſerat. Nunc dicimus, dedoceri eum etiam Italicas dictiones patrio, legitimo, uſitato more pronunciare, ac peregrino, barbaro, mendoſo uſurpare doceri. Neq; enim *A* eſt Italis aut eſſe poteſt *propoſizione*, ſed *prepoſizione*; neq; *dattivo* pro *dativo* Italorum aures ferre poſſunt. In illo autem *acc.* verendum eſt, ne iterum trepidet, atq; exalbeſcat metu puer, ſi forte exiſtimarit, Strigem quamdam aut Lamiam eſſe *Acc.* Lemuris illius *Cic.* ſororem, aut uxorem, aut utrumq;.

Sed quam vere illud dicitur, *A præpoſitionem eſſe dativi, & accuſativi?* Quæro enim: Apud Latinos ne id, an apud Italos? Non certe apud Latinos, apud quos *A* neq; dativi, neq; accuſativi præpoſitio eſt. Relinquitur, ut apud Italos eſſe utriuſq; illius caſus præpoſitio dicatur. At falſo dicitur. Nam, quum Italica nomina non niſi unum caſum flexumq; ſingulariter, unum

 item

item pluraliter habeant, fit, ut, quoties iis *A* præponitur (præponitur, inquam, tamquam præpositio, non tamquam casûs nota, quam illi non *preposizione*, sed *segnacaso* dicunt) nulli certo casui præposita dici possit. Sed hæc subtilem & difficilem, insvavem certe ac molestam tractationem habent; & sunt Italorum Grammaticorum disputationibus celebrata.

Quod si etiam concederemus, *A* præpositionem tum dativo, tum accusativo apud Italos servire, tamen id hoc loco tradi, ubi Italis non Italica, sed latina tradi oportebat, minime debuit. Sequitur tertia dictio. III. „ Abacuch Profeta „ Abacuch indec. „

Quid adhuc miseris puerulis Lemurum, Lamiarumq; terrores objiciuntur? *Cic. Acc. Indec.* Ut nihil sibi mali ac periculi impendere suspicentur, quomodo interpretaturos eos *indec.* arbitramur? an *indeciso*, an *indecente*, an *indecoroso*? Neq; enim ab illa ætate, atq; omnium rerum imperitia postulandum est, ut non potius illo modo, quam, quomodo *Admodum Reverendus Pater* voluit, *indeclinabile* compendiariam dictionem illam *indec.* interpretentur.

Age. nomen indeclinabile esse vult *Abacuch.* Quid si nolimus? Reprehendet ne ille

non

non Hebraice, ſed latine dicentem *Abacuchus*, *Abacuchi*. atq; ita deinceps in latinos caſus hoc nomen declinantem? Declinari tum hoc, tum alia reliqua ejuſmodi nomina ita poſſe, nemo Grammaticorum negat, ita etiam debere, neq; aliter poſſe, nonnulli contendunt.

Quid ſi etiam malimus *Habacuc* aut *Abbacum*, quam,ut ipſe edicit, *Abacuch* dicere? poterit ne nos uſitatius, magiſq; ex Hebræorum, à quibus hoc nomen eſt, conſvetudine loquentes reprehendere?

Sed, ut olim Saul inter Prophetas mira res hominibus viſa eſt, ſic mihi nunc valde mirum accidit,Prophetam hunc *Abacuch* inter latinas dictiones videre. An hoc *Admodum Reverendus Pater* ſuſcepit,ut omnia nominá, præſertim Hebræorum hominum, propria in hoc ſuum *herculeum volumen* referret? Id & infinitum eſt, & nulli certe uſui. Ecquando enim in Scholis *præceptivus* Grammaticæ *Pater* in Italica ſua dictata Prophetarum aut *Abacuch*, aut *Baruch*, aut *Nahum*, aut ſimilium mentionem injiciet, ut ea latine reddituro diſcipulo neceſſe futurum ſit ad *herculeum volumen*, declinatus rationem cognoſcendi cauſa, confugere?

Cur autem *Abacuch* potiſſimum nominatus eſt, *Aaron* vero, cui locus in catalogo ante *Abacuch* eſſe debebat, eſt prætermiſſus? Num propterea, quod Abacuchi, non autem Aaronis orationem, inſcriptam *Pro ignorantiis*, habeamus? Sed certe, aut Abacuchum taceri, aut Aaronem minime præteriri convênit, id quod de uno Aarone dictū ad reliqua ejuſmodi nomina transferri volo, neq; enim aut difficilior *Abacuch*, quam *Aaron* reliquorumq; Hebraicorū nominum declinatio eſt, aut uſus ejus nominis frequentior. Itaq; non dubito, quin in nova *herculei* hujus *voluminis* aliqua editione, ſequentia etiam nomina, ad *A* litteræ primas dictiones pertinentia, ſuis inſerta locis compareant.

„ Aaròn, primo Sacerdote della Tribù di Levi, figliuolo di Abram, fratello di Mosè, e di Mariàm) Aaròn indec. „

„ Aasbaì, figliuolo di Eliphalèt) Aasbaì indec. „

„ Abaddòn, nome dell' Anticriſto) Abaddòn indec. „

Abanà, fiume di Damaſco) Abanà indec. Sic Pharphàr. „

„ Abarìm, montagna de' paſſaggi nella terra di Moàb, a viſta di Canaàn) Abarìm indec. plur. „

„ Aba-

„ Abaròn, cognome di Eleazaro, fratello di Jonathàn, e figliuolo di Mathathias, de' figliuoli di Joarìb) Abaròn indec. „

„ Abdeel, padre di Selemejà) Abdeel indec. „

„ Abdemelèch, Rè degli Abiſſini o Etiopi) Abdemelèch indec.

„ Abdenagò, aliàs Azariàs, compagno di Baltaſsàr, di Sidrach, e di Misàch, ſotto il Regno di Nabuchodonosòr, al tempo del Re Joachìm di cui fu Ajo Aſphenèz, propoſto degli Eunuchi; del quale aſſai ſi parla nel Libriccino della Settimana Santa) Abdenagò indec. „

„ Abdi figliuolo di Cusì) Abdì indec. „

„ Abdiel, figliuolo di Gunì) Abdiel indec. „

„ Abdòn, figliuolo di Illel) Abdòn indec. „

„ Abdòn, figliuolo di Michà, diverſo da Abdòn figliuolo di Illèl (Abdòn indec. „

„ Abed, figliuolo di Jonathàn) Abed indec. „

„ Abel, figliuolo di Adàm, e fratello di Caìn) Abel indec. „

„ Abel, Città, che alcuni vogliono eſſere la ſteſſa, che Abelàm, vicino à Bethmaachà) Abel indec. „

„ Abelmaim, Città vicino a Ahiòn e Dàn, distrutta da Benadad, Rè della Siria, a'tempi di Baasà, Rè d' Israèl) Abelmaìm indec.

„ Abelmehulà, luogo distante da Bethsàn) Abelmehulà indec. „

„ Abelsatim, città, o piu tosto villaggio, non molto discosto da Bethsimòth) Abelsatim indec. „

„ Abenboèn, montagna assai scoscesa presso ad Adommìn nel paese de'Gebusei) Abenboèn indec. „

„ Abès, pertinenza della Tribù d' Issachàr, insieme con Jezraèl, Casalòth, Hapharaìm, Anaharath, e Ramèth) Abès indec. „

„ Abessalòm, padre di Maachà) Abessalòm indec. „

„ Abgathà, Eunuco del Rè Assuero, e compagno di Bazathà e di Maumàm) Abgatha indec. „

Sed nihil necesse est nunc omnia persequi. Has & reliquas indeclinabiles Hebraeorum dictiones, nominis *Abacuch* non dissimiles, videbimus profecto in nova Francisconiani *herçulei voluminis* editione, novo hoc titulo insigniendi — *Dizionario Italiano, Latino, ed Ebraico, raccolto dal*

Mol-

Molto Reverendo Padre Maurizio Francesconi e arricchito di tutte le voci, che sono negli altri Vocabolarj, particolarmente in quello del Rabbino David Kimki, Per uso delle Scuole Pie e delle Sinagoghe.

Sed jam ab *Abacuch*, qui vaticinii sui capite tertio num. 3. *Deum ab Austro venturum* dixit ductu atq; auspiciis *Admodum Reverendi Patris* ad Aquilonem veniamus. Dictioni enim *Abacuch* continuo subjicit sequentem, quartam ordine.

IV. „ Abacio, a tramontana) ad aquilonem. „

Non dicam hoc loco, dictionem *bacio* in earum numero recenseri oportere, quibus *præceptivus* Grammaticæ *pater* in suis Italicis dictatis, modo sapiat, abstinere omnino debeat (est enim tota, ut ita dicam, agrestis, vixq; ipsis agricolis, si Florentinos excipias, intellecta; & certe à vulgari Italiæ populorum consvetudine usuq; remota; qui si aliquem inter loquendum *a bacio* dicentem audierint, aut mirabuntur, aut etiam ridebunt;) ac propterea recte eam potuisse in hoc *herculeo volumine*, ad puerulorũ dumtaxat usus comparato, nihilo minus, quam dictio *abombera*, æque Italica, & in Vocabulario *della Crusca* recensita, omissa

omiſſa eſt, prætermitti. Illud dicam, locum huic eidem dictioni non inter incipientes à prima, ſed à ſecunda alphabeti littera eſſe oportuiſſe. Nam certe puer, ſi quando à *præceptivo patre* dictatum *a bacio* exceperit, non ad *A*, ſed ad *B* in quærendo confugiet: niſi forte exiſtimamus, eum latine reddere innumerabiles alias Italicas dictiones, quibus *A* præpoſitio præfixa ſit. neceſſe habuerit, eum ab catalogo incipientium ab *A* non receſſurum.

Dicam illud etiam, dictionem eamdem non magis de locis ad aquilonem, quam ad quamlibet cœli plagam obverſis, ab Italice ſcientibus uſurpari: modo ea locorum natura ſit, ut aut nihil, aut non multum à ſole colluſtrari ac tepefieri poſſint. Eſt enim Italicum *bacio* latino *apricus* (Italice *ſolatio*) contrarium: ut, quemadmodum ea Latinis dicuntur eſſe *aprica*, non quæ modo ad meridiem ſpectant, ſed quæ ſolis radiis valde obnoxia ſunt, ſic Itali ſuum *bacio* de iis locis dicunt, non quæ ad Septemtrionem modo ſpectant, ſed in quæ, ſive cœli poſitu, ſive montium aut ædium aut cujuſvis opaci corporis objectu, ſolis radiis ac calori aditus aut nullus aut rarus patet. Itaq; *a bacio* reddendum latine fuit non circum-

circumſcripte *ad aquilonem*, ſed generatim *loco opaco, non aprico, ſolis radiis non obnoxio.* Sequitur quinta *herculei voluminis* dictio hujuſmodi:

V. „ A bada, tardamente) Cunctancter adv. „ Primum, duplex in una eademq; vocula *adv.* crux pueris figitur. etenim & compendiaria illa eſt, & latine legenda quod eſt aut non meminiſſe, quibus cum agatur, aut plus ab illa ætate, quam quantum vulgo efficere per ſe ipſa poſſit, poſtulare. Saltem initio operis catalogum hujuſmodi compendiorum proponi, atq; ea ipſa omnibus ſyllabis explicari oportuit; ne miſelli, quoties in *Cic.* in *acc.* in *indec.* in *adv.* inciderent, hærere ac diſcruciari cogerentur.

Deinde, non ſatis eorumdem puerorum commoditati heic quoq; inſervitum eſt; qui Italicum *a bada* ſiquando latinum facere debebunt, non id (quod idem de *a bacio* dicebamus) potius inter dictiones ab *A*, quam à *B* incipientes quæſituri ſunt.

Tertio, *Cunctancter* pro *Cunctanter* barbarum eſt. Sed barbariæ hujus culpam typographus, non auctor ſuſtineat. Quid? dictionem *a bada* dictione *tardamente*, tamquam unum idemq; apud Italos ſignificante, explicari, non auctoris, ſed typographi

culpa

culpa eſt? Nego, in ullo Italorum ſermone, ubi dictioni *a bada* locus ſit, dictionem *tardamente* in ejus locum poſſe ſubſtitui. Nego præterea, quod Itali *a bada* dicunt, Latinorum adverbio *cunctanter* uſquam reſpondere. *A bada* enim non niſi cum alterutro ex his verbis aut activo *tenere* aut Neutro *ſtare* Itali conjungunt; ut *tenere uno a bada*, & *ſtare a bada:* pro quibus neq; Italice *tenere uno tardamente*, aut *ſtare tardamente* dicimus; neq; latine reddere volentes, *remorari aliquem cunctanter*, aut *cunctari cunctanter* umquam dicemus.

Scio equidem, eamdem hanc mendam, nonnullaſq; alias, quas aut reprehendi, aut reprehenſurus ſum, in ea etiam Gloſſaria, ex quibus ſuum hoc *Admodum Reverendus Pater* maximam partē exſcripſit, irrepſiſſe. Sed, qui videbat, aut certe videre poterat, eos, quos ipſe ſequutus eſt, tam multas aliorum qui ante ſe ſcripſerant, mendas correxiſſe, debuit & ipſe aliquid, ab his ipſis minus emendate ſcriptum, emendare, non facere id unum, quod fecit, ut recta modo illorum compilaret, prava, ſi qua illis exciderant, inemendata relinqueret, eaq; præterea ſuis tam multis mendis cumularet. quod certe non fuit *laborioſe ac ſedulo in*

Augeæ

Augeæ stabulum repurgandum incumbere. Quæ laus homini non quidem *repurgatori*, sed maxime *conspurcatori*, quam contra rem ipsam ac veritatem à Vigilatore nostro tributa sit, etsi satis in primis quinq; hujus *herculei* sui *voluminis* dictionibus vidimus, tamen in aliquot præterea aliis ejusdem primæ adversæ Operis paginæ videamus. Ait enim undecimo loco.

VI. „ A bardosso) Equo nudo insideo, sides, sedi, sessum, sidēre. Neut. „

Quomodo puer hoc *Neut.* interpretaturus sit, non laboro. Equidem non *neutrum*, sed *neutiquam* interpretor, hac sententia: *Equo nudo insidere* Italicæ dictioni *a bardosso* respondere, *neutiquam* verum est. Quid enim? in *a bardosso* numquid inest, quod verbo *insidere* respondeat? an dictio *a bardosso* perfecta enunciatio est, & nomine simul, & verbo constans? Non igitur *a bardosso* valet hoc totum *equo nudo insidere*, sed illud dumtaxat, *Equo nudo.* Quamquam ne hoc quidem semper: quum aliquando idem ac *negligenter* (Italice *alla buona*, & plebejus *alla carlona*) significet: ut *vestirsi a bardosso*. quod latine, reddi sic oportet, *Negligenter, nullaq; adhibita amictus cura aut elegantia vestiri.* At puer, *herculeo Admodum Re-*

ve-

verendi Patris volumine utens, id multo ſane elegantius ita redderet: *Veſtiri equo nudo inſidentem*.

Quod ſi recte attendere velimus, & bonorum Scriptorum conſvetudinem diligenter conſiderare, reperiemus, dictionem *a bardoſſo* numquam à negligentiæ cujuſdam, minimeq; curæ in facienda aliqua re ſignificatione recedere; ipſumq; *cavalcare a bardoſſo* de eo dici, qui ſive præpropera feſtinatione, ſive commoditatis atq; elegantiæ contemtu, equum conſcendit, minime ephippiis inſtratum, eoq; vehitur. quod illi faciebant, de quibus feſtiviſſimus Poëta Franceſius cecinit:

Se bene allora ſi correa a bardoſſo
Senza cucino, e colle gambe in giue.

Deniq;, quum *a bardoſſo* vehi dicantur non modo, qui equo, ſed etiam qui alio quocumq; jumento non inſtrato vehuntur: quæro, ſi forte *præceptivus* in Scholis Piis *Pater* Italicam hanc ſententiolam dictarit: *Abacuch Profeta era ſolito viaggiare ſopra un mulo a bardoſſo. ma Balaàm, altro Profeta era portato da un aſina ſimilmente a bardoſſo:* eam latine redditurus puer quid faciet? Nimirum in *herculeo* ad uſum Scholarum Piarum *volumine* ſingulas voces Italicas

licas quæret, &, cognito quid cuiq; in eo latine reſpondeat, ita rem nihil hæſitans expediet: *Abacuch* (mirum, ni etiam *indec.* elegantiæ gratia ſit additurus) *Propheta erat ſolitus iter agere ſuper mulum equo nudo inſidentem. Sed Balaàm, alius Propheta, vehebatur ab aſina ſimiliter equo nudo inſidente.* Vapulabit ne tum puer tam præpoſtere atq; abſurde loquutus? Immo is, qui ita perverſe eum loqui coëgerit, docens, latinum *Equo nudo inſidere* Italicæ dictioni *a bardoſſo* reſpondere, vapulet, Et *multis* quidem *vapulet.*

Eſt in eadem pagina paullo poſt:

VII. „ Abàte Vedi Abbàte, „

Jubetur puer, qui dictionem *Abate* quærebat, eamq; feliciter, ut ſibi videbatur, invenerat, dictionem *Abbate*, quæ inferius in averſa pagina reperitur, quærere. Atqui rectius fuerat, heic ſtatim illi de latina dictione ſatisfieri; cumq; deinde ad *Abbate* ventum eſſet, tum illum ad *Abate*, ſi ita placuiſſet, remittere. Hoc enim gloſſariorum Scriptores faciunt, ut, cum aliquid ſemel dixerint, tum, ſi alius ejuſdem rei dicendæ locus inciderit, non iterent, ſed lectorem ad prius dicta rejiciant. At vero, ubi ad cujuſq; dictionis primum locum ve-

nerint, ſi nihil tum dixerint, ſed ad poſterius dicenda rejiciant, valde ridiculi ſint & habeantur: præſertim ſi dicenda tam non multorum verborum futura fuerint,ut utrobiq; eadem dici atq; iterari ſatius ſit,quam quærendi laborem atq; moleſtiam legentibus duplieari. Jam puer meus non ſine multo quærendi labore devenerat ad *Abate*, latinam ejus Italicæ dictionis interpretationem cogniturus; ſeq; tandem, quod tanto labore quæſierat, nactum atq; adeptum putabat: *Admodum Reverendus Pater* interdicit, &, „„ errafti, inquit, pervicax, garrule, nugator, deſidioſe, nequamq; puer, errafti, ſi tam parvo *tantam & penitiſſimam Romanæ dictionis vim* tibi conſtituram ſperaſti. An, quanta ſit ejus, quem Itali *Abate* dicimus, dignitas, *o cerebrum noctescens*, ignoras? Quo igitur latino nomine tanta ac tam excellens perſona appelletur, ſcire te ſtatim, ſemel aperto *herculeo* meo *volumine*, poſſe, *Tranſmarine, Maderæ nate, Scytha, mime, gumia*, putaſti? Nates ego tibi, quem domi aliquando, à ſtudio feriantem, *clunes ad tibiarum numeros agitaſſe* reſcii, flagellis in gymnaſio conſcribillabo, ſi ceſſator fueris teq; laboris piguerit.

Qui

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit, & alsit.

. . . . Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Nostin' cujus hæc sint? Sunt *præceptivi* artis poëticæ *Patris*. Tibi *herculeum volumen* meum pro S. Cypriani Carthaginiensis Episcopi, Operibus, reliquisq; *Græcis exemplaribus* habendum est. Quæsisti semel in eo *Abate*. An hoc tibi esse idem videtur, ac *exemplaria Græca*
Nocturna versasse manu, versasse diurna?
Non est idem, per *Marsyan*, non est. Quæsisti semel *Abate?* Quære iterum non *Abate*, sed *Abbate*. Assuesce *crambem recoquere*, mortalium ignavissime; disce *ruta cæsa ruspari*, si vis esse aliquid: quære, quære, inquā, *Abbate*. „

Paret infelix puer; quærit *Abbate*. Sed in *Abbate* quid ad suos usus reperit? Hoc nempe: *Abbas atis. g. m.* Numerat litteras, reperit, totum hoc *Abbas atis. g. m.* undecim omnino constare; illud autem *vedi Abbate* decem; & *post longam ac perturbatam respirationem* suspirans exclamat: „ O maledicti hujus *herculei voluminis* auctorem plane immisericordem! Quantulum e-

rat hasce easdem undecim litteras superius etiam ad *Abate* transferre atq; iterare, loco illarum decem plane otiosarum, nec nisi negotium mihi cæterisq́; pueris facessentium? cur ipsum eadem bis scribere piguit, meq́; bis idem quærere coëgit? Sed quid est cauda illa *g. m.* An illud, quo me *Admodum Reverendus Pater* compellabat, nimirum, nisi me fallit memoria, *Gumia, Mime*? Quid porro est *atis!* An aliquid, ad eam rem pertinens, quam minitabundus tantisq́; clamoribus mihi se *flagellis conscribillaturum* dicebat? „ Sed reliqua *herculei voluminis* à prima eadem adversa pagina non recedentes videamus. *Abbatem* sequitur

VIII. „ Abbacare, confonderſi) erro, as, āvi, ātum, āre neut. cum nom. ut prima neut. „

Qui proxime tam parcus non modo verborum, sed etiam litterarum fuerat, ut, ne undenas utiles, ac necessarias poneret, denas non modo neq́; utiles, neq́; necessarias, sed odiosas atq; incommodas posuerit, is heic & litteras, & syllabas, & *verba eructans* profundit. An non satis erat, moneri puerum sic *neutr. pr.* vel *I.*? quo compendio satis intelligere potuisset, verbum *erro* ad primam neutrorum classem pertinere.

Nam

Nam admonitio illa de nominativo omnino ſupervacanea eſt. Atqui non modo heic, ſed toto paſſim Opere, quoties ad verba, quæ non ſint imperſonalia, venitur, toties de nominativo fit mentio. Quaſi vero puer is, qui ad hoc *herculeum volumen* accedit, grammaticæ ſyntaxeos vel prima elementa minime fuiſſe doctus exiſtimetur, in quibus illud etiam traditur, Omnibus verbis perſonalibus nominandi caſum anteire.

Sed valde mirum eſt, qui tam rudis & latinæ lingvæ ignarus cenſetur eſſe, ut hæc prima latinitatis elementa non didicerit, cum non modo latine, ſed etiam per latinarum vocum compendia, quarum præterea nonnullæ taceantur, compellari. Nam certe latina illa ſunt, & latine à puero legenda: *erro .... neutrum* (verbum) *cum nominativo* (conjungitur) *ut prima* (claſſis) *neutrorum.* Idq; eo magis etiam mirum videri neceſſe eſt, quod aliquando non latine, ſed Italice idem puer compellatur: ut proxime, *VEDI Abbate.* Cur non, conſtantiæ cauſa, aut ibi latine dictum eſt, *VIDE Abbate,* aut heic Italice dicitur, 1. *de neutr. col nom.* ?

Quid illa? *Abbacare, confonderſi.* An unum atq; idem Italice ſonat *Abbacare* & *Confonderſi?*

derſi? Si, quis igitur Italice dicatur *Confonderſi de ſuoi peccati*, is æque Italice *Abbacare de ſuoi peccati* dicetur? Ecquis Italus adeo *oſcitans* ac *ſemiſomnis*, immo adeo *ſomno vinoq; ſepultus* reperietur? qui id *verbum eructet*, atq; ita loquatur. Fateor, aliquem incidere ſermonem Italice loquentium poſſe, in quo *Confonderſi* non admodum abſurde pro *Abbacare* uſurpetur. Sed ita late patet *Confonderſi*, ita vulgo ad alia ſignificanda, quam quod verbo *Abbacare* Itali ſignificare ſolent, adhibetur, ut, ſi quis promiſcue altero pro altero utatur, admodum abſurde atq; ridicule in omni ferme ſermone eum loqui neceſſe ſit.

At, ſi Italicum *Abbacare* pro Italico *Confonderſi* non fere adhibetur, latinum certe *errare*, auctore *Admodum Reverendo Patre*, Italico *Abbacare* præclare reſpondebit.

Nego, ullum in antiquis Latinis ſcriptoribus locum, in quo quidem verbum *errare* adhibeatur, reperiri, in cujus loci Italica interpretatione, verbi *Abbacare* ſit ullus uſus apte atq; concinne futurus. Fac tibi, mi Chriſtophore, in mentem ejuſmodi loci veniant. Eos tu deinde, pro tua Italicæ etiam lingvæ peritia, ex latino in Italicum ſermonem converte. Si vel in uno apte repo-

reposueris *Abbacare*, non recusabo, quin tu me dignum *hellebroro*, aut *minimum reste* judices. Si igitur Italicum *Abbacare* latino *errare* non respondet, quomodo latinum *errare* Italico *Abbacare* respondebit?

Quæres: quod igitur latinum verbum respondet?

Quid tu id ex me quæris, qui epistolam tibi, non *herculeum volumen* scribere institui? Quid præterea me cogis in rebus exilibus, & ad explicandum latina lingva utenti difficillimis, versari atq; torqueri, & *Marsyæ* prope *pœnam* immeritum perferre? Sed nihil tibi flagitanti denegare possum.

Ab *Abbaco* igitur (quod Italicum nomen Latinis *arithmeticam* sive *numerandi rationem* sonat) verbum *Abbacare*, quasi *rationem inire* atq; *putare*, Italis fluxit. Id verbum â propria significatione jam ferme recessit, & in alienam, usu ita volente, usu, inquam,

Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi,

quemadmodum ait Horatius, immigravit; ita tamen, ut propriæ similitudinem quamdam (quod omnium metaphorarum est) retineret. Itaq;, qui aliquid secum ipsi attentius

tentius meditantur, suntq; in re aliqua deliberanda aut investiganda, tamquam in perturbata atq; difficili ratione putanda, intenti neq; se satis expedire possunt, ii ab Italis *Abbacare*, quasi *in conferendis subducendisq; rationibus laborare*, dicuntur. Hinc illa sunt: *Che vai tu abbacando?* &, *Puoi abbacare, quanto tu vuoi. non l'indovinerai in eterno.* Quorum sententia eadem manet, si sic latine reddantur: *Quid tu mente agitas? quid multa tecum ipse reputas? quid te rationibus ineundis, & tamquam omnium summa conficienda exerces? Diu multumq; mediteris licet, omnia circumspicias, conferas inter se quantumvis rationes, ducas, subducas, consummes: assequi tamen rem divinando non poteris.* Hoc ferme valet Italicum *Abbacare*; à quo latinum *errare* longissime abesse profecto vides. Sed ab *Abbacare* transeamus in eadem prima adversa pagina ad

IX. ,, Abbacinare, acciecare) obcœco, as, avi, atum, are, 1. act. cum nom. & accusat. sic hallucinor. ,,

Quid est *sic hallucinor?* Copia nempe verborum est. Legisti profecto Nicolai Perotti, Sipontinorum Episcopi, Opus, *Cornucopiæ* inscriptum. Aliquid simile *Admodum*

Reve-

Reverendus Pater molitur ac tentat. Vult, *herculeum* hoc suum *volumen* quoddam verborum *Cornucopiæ* esse pueris. Duo latina verba *occæco* & *hallucinor*, unum atq; idem, sententia sua, significantia, pro Italico *Abbacinare* sive *acciecare* suggerit; ut, si uti verbo *occæco* noluerint, sciant, verbo *hallucinor* in eadem significatione uti se æque latine atq; eleganter posse. *Gratiæ gratesq; maximæ* non modo à pueris, verum etiam ab omnibus *Adm: R. Patri debentur*, qui beata, plenissimi Cornu sui copia lingvā latinā ditat. Pro *obcæcare* latine etiam dici *hallucinari* nesciebamus. Nunc primum ejus benignitate rem antea ignoratam scimus. Misera ad hanc diem ac multum illa quidem pudenda inscitia atq; ignorantia mentes hominum *obcæcarat*, sive (ut jam licet loqui) *hallucinata fuerat*; non secus atq; olim Ulysses dicitur Polyphemum *obcæcasse*, sive *hallucinatus esse*. Nunc, admirando ac prope divino hujus Cornucopiæ invento, *lumen ademtum* miseris *obcæcatis*, sive *hallucinatis* redditur.

Neq; tamen dubitandum est, quin in hoc Cornu, *veluti in quodam latinitatis promo*, alii etiam *puri putiq; sermonis* thesauri recondantur. Excutiamus illud, sodes; si quid

adhuc,

adhuc, quo beemur, ex eo excusso deciderit:

X. „ Abbaco, libro de' conti) Abacus,i, g. m. „

Noli putare, mi Christophore, parvam nobis rem excussione nostra esse confectam, aut parum large ac liberaliter utriusq; optatis Cornu munificentissimum respondisse. Vix sperabamus,ex eo exiguum aliquem trium pagellarum codicillum proditurum. *Abacus*, hoc est, mensa, &, ut puto, tripus, prodiit. Hoc quoq; nesciebamus, &, Italicum *Abbaco* Italis pro *libro de' conti* usurpari, & latinum *Abacum* Italico *libro de' conti* respondere. *Codicem, tabulas, adversaria, rationum librum* illi respondere sciebamus: *abacum* etiam respondere, nisi nos Cornu docuisset, nesciremus. *Gratias* rursus *gratesq;* *maximas* & majores etiam de *Abaco*, quam de *Abacuch*, Cornu doctissimo *debeamus*. Quod sciebamus, & usitatum erat, omisit: quod nesciebamus, & erat inusitatum, hoc nempe scire nos voluit.

Atqui scire debuimus, in *abaco* quoq;, sive mensa, numeros à Mathematicis latinis potuisse atq; adeo consvevisse scribi. Quid tum? Num igitur rationum librum non modo *abacum*, sed etiam *mensam* latine dice-

ce-

cemus? Num etiam *pavimentum*, num *parietem*, num *ungues*, num deniq; etiam *cornu* appellabimus? Nam, numeros in his quoq; omnibus ſcribi, quid vetat? Quid? non ne iidem Mathematici in pulvere aut arena geometricas figuras deſcribebant? ex quo illud eſt Perſii in Satyræ primæ fere extremo

Nec qui abaco numeros; & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer.

Ut igitur arithmeticum librum dici *abacū*, quod in *abaco* arithmeticæ notæ ſcriberentur, Cornu *præceptivum* vult, ſic tanto præceptore dignus diſcipulus, librum geometricum dici *pulverem*, quod in *pulvere* geometricæ figuræ inſcriberentur, Cornu valde aſſentiente, volet. O exteris nationibus minime exſpectatum, ac plane horribilem nuntium ex Italia afferendum! Euclidis geometræ librum, poſtquam heic apud nos *Adm. R. P.* Mauritii Franciſconii Cornu hoc copiæ prodierit, jam non amplius *librum* eſſe, ſed *pulverem!*

Et quoniam in rationum libris adhuc verſamur, volumus ne, mi Chriſtophore, experiri, num aliquid, præter *abacum*, valde exquiſitum atq; elegans nobis in eodem gene-

genere *Cornu* divitissimum atq; inexhaustum suppeditet? Quidni velimus? Experiamur sane.

Italica duo illa, *Mettere a entrata*, & *Mettere a uscita*, quomodo Latini veteres dixerint, scimus. Alia nos de iis Cornu docet sub Littera L. ad dictionem *Libretto* (quam, ut hoc quoq; à Cornu novum discas, non *libellus, li*, sed *liber, bri* latine interpretatur) his verbis: *Mettere a libro di entrata: In acceptum referre aliquid. Mettere a libro di uscita: In expensum referre aliquid.*

Atqui veteres illi numquam *in acceptum referre* (nisi si quando, in alia quadam significatione, de publicorum operum redemtione nominatim ageretur,) sed semper, præpositione *in* abjecta, *acceptum referre*; numquam *in expensum referre*, sed semper *expensum ferre* dixerunt. Vides igitur, de tribus in latinitate plane novis, hoc uno loco doceri nos: quæ tria si uni illi de *abaco* addideris, neq;te consumandi præcepta, quæ *in abaco* traduntur, fefellerint, quattuor fient. Et dubitamus adhuc cum Horatio lib. I. Epist. 12. testificari

. . . . . *Non est, ut Copia major*

Ab

Ab Jove donari possit . . . . . .
. . . . . . Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit COPIA COR-
NU.

Sed speremus, alias etiamnum *puri putiq; sermonis* fruges nobis à pleno hoc Cornu esse diffundendas.

XI. Dictionem *Abbaco* quid sequitur? Dictio *Abbadessa*, quam latine non modo *Antistitam*, sed verborum copiam uberiorem suppeditans *Abbatissam* etiam, *puriori* scilicet *putioriq; sermone* interpretatur. Quod sane mirandum est in *Abbate* esse prætermissum; qui tantum *Abbas*, *atis*, non etiam *Antistes*, *itis* dictus est. Sed fortasse *Adm Rev. Pater* illud vidit, frequentiorem in *præceptivorum Patrum* Italicis dictatis *Abbatissarum*, quam *abbatum* mentionem fore. Itaq; veritus, ne in iis latine reddendis uno semper atq; eodem *Antistitarum* vocabulo pueri uterentur, & illius Juniani memor

Occidit miseros crambe repetita magistros,

sibi *de thesauro suo* corneo *nova & vetera* latina vocabula *proferenda* esse statuit; &, præter antiquam dictionem *Antistita*, recentem etiam *Abbatissa* orationem variare volen-

volentibus providentiſſime ſubminiſtravit. Jam hanc ipſam Italicam dictionem *Abbadeſſa* quid ſequatur, videamus.

XII. „ *Abbadìa*, Abbàtis dignitas, ātis, g. f.„ Puer, qui ſupra, cum ad dictionem *Abate* veniſſet, juſſus fuerat dictionem *Abbate* quærere, *Vedi Abbate*, illamq; moram, ſuo ſtudio ac cupiditati ſtatim id, quod ſcire avebat, cognoſcendi injectam, ægerrime tulerat; ubi heic ad *Abbadia* venerit, geſtiet profecto valdeq; lætabitur, ſuam ſibi ſpem non diutius differri, ſed confeſtim ſui voti compotem fieri, nec juberi *Abadia* quærere, *Vedi Abbadia*. Neq; vero labore is modo quærendi *Abadia* levatur, ſed etiam, ſi inferius *Abazia* quæſierit, non ad hanc, in qua verſamur, dictionem *Abbadia* rejicietur, ſed ibi latinum totum hoc ipſum, una etiam littera auctius, docebitur, ſic: *Abbàtis dignitas, tātis, g. f.* Utinam, quantum *Adm. Rev. Patri* debeat, intelligeret! utinam, ſi non *maximas*, aliquas ſaltem illi *gratias grateſq;* *deberet*; à quo, quantum laboris adire, ac moleſtiæ ſuſcipere in *Abbate* quærendo coactus eſt, tantum ſibi opis ac levamenti in *Abbadia* & *Abbazia* latine explicanda comparatur. Non heic illi *ſudandum* & *algendum* eſt: non *exemplaria*

ria græca Nocturna versanda manu, versanda diurna: non *herculeum volumen pro græcis exemplaribus habendum:* non *contumeliosæ Gumiæ, Mimiq;* appellationes audiendæ:non *conscribillationes* ullæ *natium* pertimescendæ. Sive ille *Abbadia*, sive *Abbazia* latine quî dicatur scire voluerit, alterutramq́; earum dictionum in *herculeo* sive *corneo volumine* semel quæsierit, statim, nulla alia inquisitione proposita,latine quid utriq́; *puro putoq; sermone* respondeat, nullo negotio cognoscet, nempe *Abbàtis dignitas, ātis,* sive *tàtis, g. f.*

Magnum est hoc beneficium, eximium, singulare, divinum,nec verborum modo,verum etiam operæ atq́; officii exquisito aliquo genere remunerandum. Quid igitur gratus puer tantis *Adm. Rev. Patris* erga se meritis dignum præstabit? Mihi quidem hoc in mentem nunc venit (si aliud succurrerit, aliàs suggeram.)

Monachorum, qui à S. Basilio auctore *Basiliani* vulgo nuncupantur, non longe ab hoc Tusculano dimicilium est; quod pervetustam ac maxime religiosam ædem adjunctam habet, Deo in honorem Virginis Deiparæ dedicatam. Loco nomen *L' Abbadia di Grotta Ferrata.* Ad hanc igitur *Abba-*

tis

tis dignitatem Cryptæ Ferratæ peregrinationem religionis cauſa puer inſtituat. Ubi ad eam *Abbatis dignitatem* pervenerit, Reverendiſſimum ejus *Abbatis dignitatis* Abbatem conveniat, ab eoq; ſuppliciter petat, ut à ſanctiſſimis illis Monachis, qui in ea *Abbatis dignitate* vivunt, preces ad Deum pro *Adm. Rev. Patris* Mauritii à Præſentatione B. Mariæ Virginis, *herculei voluminis* ſive *Cornucopiæ* auctoris, incolumitate fundi diurnas nocturnaſq; curet: tum ipſe puer ædem ſacram ejuſdem *Abbatis dignitatis* inviſat, ibiq; votis pro eadem *Adm. Rev. Patris* incolumitate rite nuncupatis, ab *Abbatis dignitate* Cryptæ Ferratæ diſcedat, in ſuamq; domum ſive pedibus, ſive mulo, ut Abacuch, aut aſinæ, ut Balaam, *equo nudo inſidenti*, inſidens, bonis omnibus revertatur. Nos ad Cornu frugiferum excutiendum revertamur.

XIII. „ Abbajàre, dire ingiuria à qualcuno) alicui oblatero, as, āvi, ātum, āre, neut. „

Verbum *oblatero* Latinis plane inauditum eſt. Cornu *Adm. Rev. Patris* non modo frugiferum, ſed etiam vocaliſſimum eſt, & ex eorum genere, quæ in Romanorum funeribus adhibebantur: de quibus Horatius lib. I. Sat. 6.

At

. . . . At hic, si plostra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua quod vincatque tubas,

Ab eo igitur primum latinam hanc vocem *oblatero* audimus.

Sed ea fortasse typorum, non Cornu vox est; legendumque *oblatro*, non *oblatero*. Esto. Quid putamus? acquieturum propterea esse Cornu, ac taciturum? Non per Jovem, & eum quidem Hammonem. Omnino aliquid plane suum sonabit. Quidnam? *Alicui*. Hæc profectò Cornu ipsius articulata vox est, non typorum, *ALICUI oblatrare*. Quid, ex quo homines latine loqui cœperunt, ad hanc usque diem audieramus? *ALIQUEM*, non *ALICUI oblatrare*. A Cornu quid audimus? *ALICUI*, non *ALIQUEM oblatrare*. Non igitur aliquid plane suum, neque antea umquam auditum, Cornu funereum ac terrificum sonat? Intentis auribus reliquum soni excipiamus, si forte etiamnum novi aliquid audierimus.

XIV. „ Abbaìno, finestra sopra il tetto) Interpluvium, ii, g. n. „

An non hoc quoque novum est? *Interpluvium* quis umquam audivit? Nec Latinorum, nec alius cujusquam gentis ea vox,

Cornu,Cornu, inquam, unius eſt. Sed finis audiendi ſit. Non poſſum jam amplius tam multa, tam nova, tam incondita audire. Malim Catadupa illa Nilotica accolere, eorumq; immenſo atq; horrendo fragore ſurdeſcere. Cornu hoc, aures meas tam graviter obtundens,mihi jam nunc in omne tempus conticeſcat. Satis ſonuit,ſatis obſtrepuit,ſatis etiam, ſi ita vis *mihi oblatravit.*

Cornu autem quod toties dixerim, in eaq; appellatione potius, quam in illa alia *herculei voluminis*, cum de hoc *Adm. Rev. Patris* Opere agerem, paulliſper acquieverim, mirum tibi, mi Chriſtophore, non debet videri: immo appellatio hæc ipſa illam tibi adimere admirationem debet, in qua te adhuc fuiſſe, atq; eſſe etiamnum credo,cur ejuſmodi libros eo ipſo *herculeorum voluminum* nomine Vigilator primus omnium mortaliũ appellarit. Digna res eſt,quam ſcias; &, niſi de Cornu cogitaris, egoq; tibi Herculis cognationem cum Cornu explicaro, numquam eam poteris ſcire. Sic autem ſe res habet. Quum Oeneum, Ætoliæ regem, Deianiræ patrem, Achelous & Hercules adiiſſent, atq; apud eum de ea re agere inſtituiſſent, de qua Franciſci Barbari commentarium illum, Juventuti, artis critiçæ

ticæ ſtudioſæ, à Vigilatore commendatum, habemus, poſt verborum gravem atq; acrem concertationem, demum ad manus atq; ad pugnam adducta res eſt, cujus pugnæ hunc exitum Achelous ipſe apud Ovidium lib. IX. *Metamorphoſeon* v. 80. tradit:

Sic quoq; devicto reſtabat tertia tauri
Forma trucis. Tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris à læva parte lacertos,
Admiſſumq; trahens ſequitur; depreuſaq; dura
Cornua figit humo; meq; alta ſternit arena.
Nec ſatis id fuerat. Rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaq; à fronte revellit.
Nàïades hoc, pomis & odoro flore repletum,
Sacrarunt: diveſq; meo bona Copia Cornu eſt.

Ea fuit Cornucopiæ origo, nomen vero ad eos libros, qui multiplicem ac variam ſive rerum ſive verborum doctrinam continerent, tranſlatum eſt; qui quoniam Cornu copiæ quoddam ſunt, *Herculea* etiam *volumina* eos eſſe quodammodo neceſſe eſt.

Cornu enim, unde appellantur, Acheloo ab Hercule detractum, Herculeum quoddam monumentum ac trophæum est.

Hæc igitur causa ejusmodi libros *herculea volumina* appellandi Vigilatori, ut opinor, fuit; quos sciebat ab aliis *Cornu* nomine posse, & vero etiam solere appellari. Sed, sive hoc, sive aliud, quod nesciamus, ac ne ipse quidem fortasse sciat, in ejusmodi appellatione sequutus sit, certe, quid illi in Francisconio producendo, eoq; inter tot egregios Augeæ stabuli repurgatores recensendo propositum fuerit, intelligimus. Magnam quamdam atq; excellentem suorum hominum opinionem commovere atq; ingenerare in Polonorum animis voluit. In grammaticis Gasparem Dragonettum, *Virum* scilicet *magnum*, *Grammaticorum gnarissimum. Romanum Nestorem, Alvari præceptorem*; itemq; Franciscum Serram, *Neotyri, pluribus, si verum perplacet*, in hoc genere *anteferendi*, auctorem: in rhetoricis atq; pòeticis *Virum* æque magnum *Camillum* Nicolium: in *puri putiq; Sermonis, qui in lexicorum herculeis voluminibus veluti in quodam latinitatis promo reconditur*, divitiis atq; elegantia Mauritium Francisconium, *Virum* nihilominus *magnum*, &

Do-

Doleto, Scoto, Nizolio, Stephano, Facciolato comparandum, objecit. Attonitos vos ac propemodum obſtupefactos tanta *magnorum* in omni egregiarum artium genere cum copia tum præſtantia *virorum, maximas illi gratias grateſq; debituros* exiſtimavit, à quo de tam multis tamq; eximiis & Scriptoribus & Operibus, in Polonia neque cognitis neq; auditis, docti nunc primum eſſetis. Tu fraudem ſubeſſe aliquam ſuſpicatus, nec homini, primum ſe, deinde ſuos ac ſua tam magnifice apud ignotos venditanti, fidem continuo eſſe habendam ratus, ex me, quem aliquid de iis ſcire, aut certe facilius ac certius inveſtigare poſſe arbitratus es, quid de iiſdem ſentirem, quid etiam tibi ſentiendum exiſtimarem, tuis litteris quæſiſti. Quæ mea de ſingulis ſententia ſit, ex iis, quæ de unoquoq; dixi, puto, cognoſti: quæ tua eſſe debeat, tu apud te, ipſe ſtatues.

Nunc breviter de libello illo, quem ad me una cum Franciſconii *Dictionario* à meo illo Neſtore Tuſculano eſſe miſſum ſupra ſignificavi, extremo loco cognoſce. Is ita inſcribitur: *Avvertimenti grammaticali per chi ſcrive in lingua Italiana.* Eſt autem Urbini apud *Typographum Cameralem* an-

no 1729. editus *ad usum Collegii Nobilium Urbinatis Scholarum Piarum.*

Eumdem libellum habebamus jam antea, Romæ anno 1661. excusum à Varesio, atq; ita inscriptum: *Avvertimenti grammaticali per chi scrive in lingua Italiana, dati in luce dal Padre Francesco Rainaldi della Compagnia di Gesù.* Editor quidem hujus libelli Rainaldius fuit, sed auctor Sfortia Cardinalis Pallavicinius S. J. fuerat, qui non suo, sed Rainaldii, collegæ sui, ejusdemq; amicissimi hominis, nomine prodire in lucem opusculum illud suum voluit. At, qui Urbini ad usum Collegii Nobilium id iterum excudendum curavit, non passus est, in ipsa statim Operis inscriptione errandi occasionem Nobilibus adolescentulis præberi. Itaq; *P. Francisci Rainaldii S. J.* qui ejus auctor non fuerat, nomen removit: neq; tamen *Cardinalis Sfortiæ Pallavicinii S. J.* nomen substituit; quem nimirum sciebat auctorem videri noluisse. Qua re & Pallavicinii modestiæ consuluit, & Rainaldii, ne is forte plagiarius à quoquam haberetur, existimationi providit. Neq; enim ignorabat, quantopere ejusmodi plagia eruditis hominibus displicerent, qui Cl. V. Sebastiani Paullii, Cl. Reg. Congre-

gati-

gationis Matris Dei, querelam illam liberam ac paullo fortasse acerbiorem in adnotatione quarta ad Georgii Walchii præfationem in Bartholomæi Beverinii, viri ex eadem Matris Dei Congregatione doctissimi, *Syntagma de ponderibus & mensuris*, Neapoli anno 1719. Felicis Moscæ typis editum, meminisset: *Hic silentii pede prætereundũ non duxi, collectionem quamdam phrasium latinæ lingvæ, e purissimis fontibus erutarum, quibus ad amussim respondent Italicæ dicendi formulæ, genuinum ipsius* (Beverinii) *esse fœtum: licet, immutata tantum Libri fronte, alterius auctoris, & alterius religiosæ societatis nomine prostet. Hanc edidit auctor Lucensibus typis; at, quia suppresso nomine, in eam peccare proclive fuit lepidis iis capitibus, quæ, dum propriis nequeunt, aliorum laboribus clarescere satagunt.*

Prodierat nempe anno 1666. Lucensibus Hyacinthi Pacii typis Beverinii commentariolus hoc titulo: *Selectiores dicendi formulæ ex triumviris latinitatis Plauto, Terentio, Arbitro; quo simul & lingvæ & morum puritati consulatur, collectæ in gratiam juventutis gymnasiorum S. Mariæ Curtis Orlandinorum Patrum Congregationis Matris Dei.* Hic idem commentariolus

 iterum

iterum editus est, & cujusdam *Adm. Rev. Patris*, ex religiosa societate Clericorum Reg. Pauperum Matris Dei, inscriptus nomine, ad usum Scholarum Piarum, circumferri cœptus. Id Paullius queritur: eaque, ut arbitror hominis querela commotus Urbinas *Admonitionum grammaticarum*, quæ Rainaldii nomine non vere inscribebantur, editor, Rainaldii ipsius nomen ne de suppositi Operis editione reprehendi à quoquam posset, aut *lepidum caput* audiret, non illepide sustulit.

Ego certe tam perspicax, tam acutum, tam commodum consilium non modo non reprehendendum, sed vehementer laudandum censeo; ipsiq; editori *gratias gratesq;* ab omnibus eruditis, maxime vero à Societate Jesu, cujus Scriptorum tum modestiæ tum existimationi tam provide, tam ingeniose, tam amanter cavit, *maximas deberi* profiteor; quum præsertim Operi tantam atq; ejusmodi accessionem factam esse videam, ut jam neq; Rainaldii, neq; Pallavicinii dici, si universum, spectetur, jure vereq; possit. Licet enim editori plane suo jure dicere idem, quod Virgilius Æneidos libro VII. v. 44. cecinit

.... Major rerum mihi nascitur ordo,
Majus opus moveo. Ete-

Etenim illis de Italica lingva ſive Rainaldii, ſive Pallavicinii *Admonitionibus* Catalogum officiorũ ſeu munerũ, quæ apud veteres Romanos in uſu erant, alphabeti ordine, ſane longum ſubtexuit, non neſciens Horatii illa, ſed negligens,

Sed nunc non erat his locus. Et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare, quid hoc? ſi fractis enatat exſpes
Navibus, aere dato qui pingitur. Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

Negligendam autem Horatii hanc admonitionem ſibi eſſe propterea duxit, quod quum ex arte illius poëtica depromtam ſciret, ad ſe, qui poëma non ſcriberet, minime pertinere eam exiſtimavit.

Atq; huic certe Catalogo debeo, quod hic quoq; ad me liber, quem tamen non popoſceram, miſſus cum reliquis, quos popoſceram, ſit, creditus eſt enim à meo Neſtore eſſe quædam, quemadmodum dicebam, Franciſconiani *Dictionarii* appendix atq; mantiſſa, & ſane, quæ heic ſunt dictiones pleræq;, in Franciſconii *herculeo* ſive *volumine* ſive *Cornu* deſiderantur. Atqui poterant in eo non minore cum dignitate,

quam

quam *Abacuch*, quam *Abacus*, quam *Abbatis dignitas*, quam *Oblatero*, quam *interpluvium*, quam reliqua, recenſeri. Vide quid mihi nunc ipſum, libelli paginas temere pervolutanti, in oculos incurrat

„ Juſcularius) Perito nel far le leggi. „ Superi, veſtram fidem! Quid monſtri, quid prodigii, quid oſtenti, quid portenti hoc eſt? Vigilans ne ego hunc Catalogum, an ſomnians lego? Non hoc mihi germaniſſimum ſomnium, ex acheronte eburnea porta emiſſum, objicitur? Ergo, qui Latinis erat *Juſcularius*, is Italis eſt *Perito nel far le leggi?* E culina igitur Lycurgi repente nobis atq; Solones exſiſtunt? Juſculorum confectio atq; conditio eſt legum faciendarum condendarumq; peritia? Deniq; *Juſcularios* Latini non ſervos, qui juſcula dominis conficerent, ſed homines, qui non modo juris civilis periti eſſent, ſed etiam civibus nova jura conſtituerent, novaſq; leges condere perite poſſent, dixerunt? Hoc eſt ſane novum, & ex quo aures hominibus eſſe cœperunt, inauditum. Cur non in *Adm. Rev. Patris* Franciſconii *puri putiq; ſermonis Theſauro* tot inter nova atq; inaudita huic quoq; novitati inauditæq; dictioni locus eſt datus? Nonne in ipſa Operis inſcri-

inſcriptione auctor profeſſus fuerat, cornu copiæ illud ſuum omnibus dictionibus, quæ in aliis quibuſvis Cornibus reperirentur, immo omnibus rebus, quæ deſiderari poſſent, locupletatum prodire? *arricchito*, inquit, *di tutte le voci, che ſono negli altri Vocabolarj .... e di tutto ciò, che ſi poſſa in eſſo deſiderare.* Aut igitur Urbinatem hunc Urceum (Catalogum vocabulorum ad uſum Collegii Urbinatis, *Admonitionibus* Cardinalis Pallavicinii *de Italica lingva* ſubnexum, volui dicere) inter Vocabularia habere locum *Adm. Rev. Pater* non putavit, aut non uſquequaq; verax in ſua illa inſcriptione fuit.

Sed profecto, in nova *herculei voluminis* Cornuq; editione, & Hebræorum illa, de quibus ſupra dicebam, nomina, & hoc *Juſcularii*, valde, ut mihi quidem videtur, Rabbinicum Thalmudicumq; vocabulum comparebit: ut, ſi quid forte de Moyſe, Librorum Vaicrà, Vajedabbèr, & Haddebarim (quibus libris Hebræorum leges continentur) auctore, ſeribere in Scholis à *præceptivis Patribus* pueri jubebuntur, illum à ſe non minus latine atq; eleganter *Juſcularium*, quam *Legum ſcriptorem* aut *latorem* dici poſſe ſciant: multoq; juſtius exclama-

re

re Vigilatori nostro, suumq; illud non modo in Sarmatia, sed ubiq; locorum, ac gentium testificari liceat: *Eadem lexicorum herculea volumina, in quibus puri putiq; sermonis thesaurus, veluti in quodam latinitatis promo reconditur, quot demum barbarismis affluunt! quot rerum monstris & vocabulorum illuvie sordent? ut gratias grates q; maximas debeamus Francisconio, qui in hoc Augeæ stabulum repurgandum tam laboriose, tam sedulo incubuerit.*

Tu vero, mi Christophore, quas mihi *gratias gratesq;* *debiturus* es, qui *tam laboriose, tam sedulo* addo etiam, tam prolixe ad priora tuarū litterarum capita, reliquis meis sive occupationibus, sive oblectationib9 posthabitis prætermissisq; rescripserim? Ego autem ne agi quidem mihi à te hoc nomine gratias ullas volo. Omnia tu à me amicitiæ atq; observantiæ officia petere tuo jure atq; exigere potes. Ego nihil tibi, à me postulanti, sine injuria negare possum. Omnia igitur ego tibi, nihil tu mihi debes. Unum tamen est, quod à te non debiti atq; mercedis, sed beneficii ac tamquam gratiæ loco petam: idq; tam facile me à te impetraturum confido, quam tu soles sic in largiendo, quæ non debes, esse liberalis, ut re-

liqui

liqui boni viri in persolvendo, quæ debent, soliti sunt esse religiosi. Tibi uni superiora omnia, quæ scripsi, scripta esse intelligis. Ea igitur nolim à quoquam, nisi à te uno legi. Vide, quam valde nolim, ne Stanislaum quidem fratrem tuum suavissimum, mihiq; carissimum, ab ea lege exceptum volo. Nihil est facilius, quam familiares sermones nostros, si iis vel unus arbiter adhibeatur, manare in vulgus, breviq; in omnium ore versari. Nemini non sui necessarii sunt atq; intimi, quibuscum omnia tuto communicari posse existimentur. Ita à paucis profectus rumor ad multos paulatim pervenit, & secreto commissa singulis, celeriter omnibus innotescunt, fiuntq; publica, quæ privata erant & esse debebant. Genus eorum, quæ hac mea epistola continentur, quale sit, vides. Odiosa pleraq; in ea sunt, eoq; magis, quo veriora. Talia amicis, præsertim rogantibus, impertita amicitiam cum significant, tum vero etiam alunt atq; confirmant; in vulgus prolata adversarios ferme atq; inimicos comparant. Cur autem in me hominũ inimicitias commoveri velim, qui ita mihi jam diu litterulisq; meis vivo, ut ne amicitiam quidem cujusquam appetam, vixq; ipsas veteres & jampridem institutas tueri coner?

Vi-

Vides præterea, familiariſſimo, & ſæpe ridiculo ac prope mimico ſcribendi genere me eſſe uſum. Licet hoc quoq; aliquando inter amicos; præſertim ubi animi remiſſio quædam jucunditaſq; quæritur. Volui ſemel liberius garrire tecum, & quidquid in buccam, ut ajunt, veniret, dicere: volui ridere: volui riſum etiam tuum, ſi poſſem, elicere, teq; natura triſtiorem exhilarare. Num interdictum hoc eſt, ruſticantibus præſertim? Atqui meminimus Craſſi illud apud Ciceronem libro II. *de Oratore* cap: 22. *Lelium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari, eoſq; incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cū rus ex urbe, tamquam e vinculis, evolaviſſent .... Conchas eos & umbilicos ad Cajetam & ad Laurentum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludumq; deſcendere.* Fac, eadem hæc à graviſſimis illis viris non feriis, non rure, non remotis arbitris fuiſſe facta. Summam & non ferendam indignitatem ſingula habuiſſent. Similiter, ſi, quæ facetius in hoc Tuſculani otio atq; ſeceſſu ſcripta tibi eſſe volui, palam fiant, ad eaque tamquam turba ſpectatoreſq; advocentur, vituperationem effugere vix poſſint; neq; ſatis digna ſtudiorum inſtitutorumq; meorum ſeveritate habeantur.

Cice-

Ciceroni vitio datum eſſe accepimus, quod is L. Muræнam apud judices conſul defendens, Stoicos Stoicorumq; decreta paullo facetius atq; jocoſius exagitarit, cum quidem M. Cato, ſeveriſſimus ipſe Stoicus, qui orationi interfuit, illud à Plutarcho memoriæ proditum, ad proximos converſus non tam ſtomachans, quam ridens dixiſſe dicitur: ὦ ἄνδρες, ὡς γελοῖον ὕπατον ἔχομεν! *o viri, quam ridiculum conſulem habemus!* Mihi, ſi gravitatem illam antiquam meam aliquando poſuiſſe deprehendar, ut nihil à Catonibus timendum ſit, tamen verendū eſt, ne diſcentibus à me græcā lingvā cavillandi occaſionē præbeam; qui me adhuc ſeverū potius, ac tantum non tetricum experti, ſi epiſtolæ meæ hilaritatē jocoſq; reſcirent, fortaſſe, ut ſunt Romani pueri valde dicaces, exclamarent: ὦ παῖδες, ὡς γελοῖον διδάσκαλον ἔχομεν! *o pueri, quam ridiculum præceptivum Patrem habemus?*

Verum, ut aliquando jocari deſinam, ſerio illud tibi, mi Chriſtophore, mando, ut epiſtolam hanc meam omnino comprimas, atq; adeo concerpas; ſi vis reliquas ejuſdē argumenti meas ad te litteras pervenire. Vale, meq;, ut facis, ama. E Tuſculano prid. Kal. Octobr. die natali meo. An. CIↃ.IↃ.CC.LII.

†